ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS IN COMMUNI

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatusdesacra0000fral

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

INSTITUTIONES THEOLOGIAE DOGMATICAE
AD TEXTUM S. THOMAE CONCINNATAE

TRACTATUS
DE
SACRAMENTIS IN COMMUNI

(3, QUAEST. LX-LXV)

AUCTORE

FR. ALEXIO MARIA LÉPICIER

ORD. SERV. B. M. V.

OLIM IN PONTIF. COLLEGIO URBANO DE PROPAGANDA FIDE
SACRAE THEOLOGIAE DOGMATICAE PROFESSORE

Visitasti terram et inebriasti eam:
multiplicasti locupletare eam.
(Ps. LXIV, 9).

PARISIIS
SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, VIA DICTA CASSETTE, 10

IMPRIMATUR

Fr. Augustinus Maria Sartori

Ord. Serv. B. M. V.

Vicarius Generalis

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica, Archiep. Philippen., Vic. Ger.

Omnia iura proprietatis auctor et editor sibi reservant.

Hoc opus, iuxta leges, mense Septembri 1921 fuit depositum.

ROMAE EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX

INVOCATIO

Salvete, Christi vulnera,
Immensi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis sanguinis.

Nitore stellas vincitis,
Rosas odore et balsama,
Pretio lapillos indicos,
Mellis favos dulcedine.

Per vos patet gratissimum
Nostris asylum mentibus;
Non huc furor minantium
Unquam penetrat hostium.

Quot Iesus in praetorio
Flagella nudus excipit!
Quot scissa pellis undique
Stillat cruoris guttulas!

Frontem venustam, proh dolor!
Corona pungit spinea;
Clavi retusa cuspide
Pedes manusque perforant.

Postquam sed ille tradidit
Amans volensque spiritum,
Pectus feritur lancea
Geminusque liquor exsilit.

Ut plena sit redemptio,
Sub torculari stringitur,
Suique Iesus immemor,
Sibi nil reservat sanguinis.

Venite, quotquot criminum
Funesta labes inficit;
In hoc salutis balneo
Qui se lavat, mundabitur.

Summi ad Parentis dexteram
Sedenti habenda est gratia,
Qui nos redemit sanguine,
Sanctoque firmat Spiritu.
Amen.

12 5 00

PRAEFATIO

Cum decrevisset Deus humanum genus, a vita gratiae per inobedientiam Adae excisum et in profundum malorum prolapsum, ad sui amicitiam et ad regni caelestis hereditatem revocare, Filium suum Unigenitum misit in mundum, ut in eo, homine facto, omnia instauraret, *quae in caelis et quae in terra sunt in ipso* [1]. Ad quod praestantissimum opus perficiendum, sapienti consilio decrevit ut a Verbo assumpta humanitas instrumentum fieret operis redemptivi, quatenus per eamdem naturam, quae ruinae nostrae causa exstiterat, reparationis mysterium compleretur. Unde sicut Christus Dominus *tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* [2], ita sanctissima eius humanitas divinitus constituta est instrumentum salutis nostrae ac veluti canale, per quod omnes ad nos gratiae pervenirent. Quocirca exsultans canit Ecclesia [3]: *O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem.*

At cum Christus Dominus ab hoc mundo recessurus et ad Patrem reversurus esset, ne ex sui absentia homines quos tantopere dilexerat detrimentum paterentur, Ecclesiae, quae dilectissima eius sponsa est, providit, res quasdam sacras instituendo, quibus, tanquam sacris symbolis

1. Eph., I, 10. — 2. Ibid., V, 2. — 3. Antiph. ad Laudes, in festo Circumc. Dom.

et signis supernaturali virtute donatis, opus suum redemptivum in finem usque saeculorum continuaret, ut sic vere esset in omnes copiosa eius redemptio. Haec sunt septem Ecclesiae sacramenta, quae utpote certa salutis pignora, multiformem gratiae vitam in animabus nostris miro et ineffabili modo gignunt, conservant et confovent. In quo quidem, singulari omnino ratione, divina relucent attributa, videlicet, sapientia, potentia, bonitas et iustitia.

Et primo quidem, in sacramentorum opere manifeste resplendet Dei sapientia, cum vilia et infirma elementa, ut sunt aqua, panis, vinum, oleum, ad rem tam excellentem, qualis est gratia divina, causandam, selegerit, quibus supernaturalem virtutem tam intimo foedere et efficaci consequentia colligavit, ut vix paucis aut etiam nullis dispositionibus in subiecto requisitis, suum infallibiliter effectum in animabus producant. Quocirca, stupentes exclamare debeamus [1]: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei,* qui sicut ad hominem formandum limo spiritum miro vinculo coniunxit, ita ad illum reformandum materialibus et vulgaribus elementis supernaturalem indidit sanctificandi virtutem. — Nec minus in sacramentis relucet magna Dei potentia, cum sic exhibeantur omnia mundi elementa divinae virtuti ita subservientia ut, ad opus nostrae salutis perficiendum concurrant, quo liquido evincitur, totum mundum voci Dei, tamquam supremo Domino, parere debere. — Sed et divina bonitas per sacramentorum institutionem clare manifestatur, cum nulla relinquatur vitae nostrae indigentia, cui per huiusmodi salutifera media non subveniatur: quandoquidem, a primo nostro in hunc mundum ingressu ad exitum usque, divina nos gratia per haec caelestia canalia communicatur, nec aliquid desideratur ad vitam spiritualem inchoandam, fovendam ac perficiendam, quod in sacramentis non inveniatur. — Denique in sacramentorum dispensatione di-

1. Rom., XI, 33.

vina iustitia mirabiliter patefit, cum per ea nostris erga Deum debitis satisfaciendi media habeamus. Enimvero, tota nostra ad Deum relatio huc reducitur, ut eum per peccata nostra offensum placemus et ut ei debitum reddamus honorem. Quod quidem cum ex nobis ipsis praestare non possimus, en Deus nobis per sacramenta suppetitias fert, primo quidem per mortuorum sacramenta medium nobis praebendo admissas culpas expiandi et pro eis debite satisfaciendi; tum per sacramenta vivorum, maxime vero per Eucharistiam, quae simul sacramentum est et sacrificium, optimum omnino medium exhibendo ad eum, uti par est, colendum, diligendum, honorificandum.

Quae cum ita sint, iam patet quanti facienda sint ista Ecclesiae sacramenta, quae ex peramanti ac ditissimo Corde Iesu, tanquam septiformis vena scaturiunt. Oh! quam grato animi sensu, quam ardenti devotione, ac inexplebili siti, divina ista donaria concupiscere et amplecti debemus! Etenim, sicut hos salutis fontes negligere signum est ingrati erga Dominum Nostrum Iesum Christum animi, cum sint fructus sanguinis eius, ita ordinatus amor nostri impellere nos debet ad eadem pie et sancte suscipienda, per quae et gratiam in hac vita, et gloriam in futura, facile et compendiose obtinere possumus.

Sed quemadmodum nisi rem aliquam probe cognoscamus, illam pro iusto aestimare ac rite diligere nequimus, ita nisi christianus homo probe de hisce sacramentis instruatur, illa non uti par est, magni faciet aut amplectetur. Necesse est igitur ut sacerdotes maxime, qui sunt sal terrae, omni sedulitate conentur scire donum Dei, ut ex eis fideles pro modulo suo de eisdem penitiorem cognitionem adipiscantur.

Quod quidem eo vel magis dicendum, quia hac praesertim tempestate, plurimi, iique gravissimi insurrexerunt errores, ad hanc Domini institutionem labefactandam. Qui quidem errores ad duplicem, opposita acie dimicantem, seriem, reduci possunt: videlicet, ad mate-

rialismum et ad spiritualismum, quem melius dixeris spiritismum. Prior quidem cum nil supra materiam agnoscat, nequit in sacramentis aliud cernere, nisi quod sensu percipitur, res scilicet, et qualitate et mole, contemptibiles, quas proinde superbo prosequitur contemptu; alter vero, tamquam superbae theosophiae infecta proles, dum hominem contendit ad ulteriores sphaeras, praesenti vita transacta, pedetentim ita elevandum, ut in spiritualem omnino substantiam aliquando transiturus sit, sacramenta arroganter aspernatur, tamquam materialia nimis elementa, a cuius vinculis quisque sese omnimodo expediri.

Inter haec duo extrema, rudem scilicet materialismum omne id respuentem quod materiam transcendit, et spiritualismum ex professo reiicientem ministerium ecclesiasticum et sacramentorum dispensationem, media incedit veritas catholica, fide profitens et grato animo suscipiens septem novae Legis sacramenta, a Christo Domino ad salutem generis humani instituta, quibus meritum beatissimae illius passionis copiose nobis applicatur.

Quod quidem firma fide et devoto corde retinentes, satagere debemus ut prompti et alacres pareamus voci incarnatae Sapientiae, qua dulciter nos ad haec salutifera pascua compellat, dum ait [1]: *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.*

Begbrokii, prope Oxonium, in festo S. Iacobi Ap., 1921.

1. Sap., IX, 5.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS IN COMMUNI

INDEX RERUM

PROOEMIUM.

Paginae

1. Ratio huius tractatus 1
2. Ad quamnam theologiae partem pertineat agere de sacramentis. 1
3. Sacramentorum conceptus apud mediae aetatis novatores . 2
4. Modernistarum de sacramentis placita 3
5. Vera sacramenti notio 5
6. Qualem thesaurum Ecclesia in sacramentis possideat . . 5
7. Aligherii de sacramentorum virtute elegans descriptio . . 6
8. Ordo huius tractatus 7
9. Dubium circa quaestionem de subiecto sacramentorum . . 9

QUAESTIO PRIMA.

(LX)

QUID SIT SACRAMENTUM.

Prologus.

1. Existentia sacramentorum 10
2. Ratio huius quaestionis 10
3. Ordo quaestionis 11

ART. I. — *Utrum sacramentum sit in genere signi.*

1. Analogia nominum 13
2. Variae significationes nominis sacramentum. . . . 13
3. PROP. — Sacramentum, prout hic sumitur, importat habitudinem signi, et secundum hoc ponitur in genere signi . . 15

Paginae

4. Quid et quotuplex sit signum 15
5. Propositio probatur 16
6. Nomen sacramentum in Scriptura Sacra 16
7. Verba Catechismi Romani 16
8. Nomen sacramentum in traditione 17
9. Sanctitas, a qua denominatur sacramentum, non significatur per modum causae efficientis 17
10. Solvitur tacita difficultas 18
11. Corollarium. — Licet potuerit Deus elevare quamcumque rem creatam ut per eam gratia produceretur in anima, tamen talis res non posset dici sacramentum, nisi in ipsa esset ratio signi sanctificativi 19

Art. II. — *Utrum omne signum rei sacrae sit sacramentum.*

1. Ratio articuli 19
2. Prop. — Sacramentum est signum rei sacrae, in quantum haec res sacra est sanctificans homines 19
3. Ostenditur 20
4. Sacrificium deficit a propria ratione sacramenti. . . . 20
5. Creaturae sensibiles non possunt dici sacramenta 20
6. Consecratio altaris vel templi et aspersio aquae benedictae non sunt proprie sacramenta 21
7. Quaestio. — *Utrum omnia gesta Patrum veteris Testamenti, vel omnes caeremoniae veteris Legis fuerint sacramenta ?* . . 22
8. Scholion. — Veteris Legis sacramenta vera sacramenta fuerunt, in quantum extiterunt signa passionis Christi . . 22
9. Definitio sacramenti 21
10. Corollarium. — Ad rationem sacramenti requiritur, primo, ut sit signum institutum ad religionis cultum pertinens; secundo, ut sit institutum ad significationem gratiae praesentis aut futurae 23

Art. III. — *Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum.*

1. Quomodo res una possit simul multa significare . . . 24
2. Prop. — Sacramentum non est signum unius rei tantum . 24
3. Probatur 24
4. Corollarium. — Sacramentum est simul signum rememorativum, demonstrativum et praenuntiativum 25
5. Quomodo tria haec in baptismo inveniantur 25
6. Horum trium uberior explicatio . . . . . .

Paginae

ART. IV. — *Utrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.*

1. Signum, in quo ratio sacramenti consistit, est ens reale simpliciter 27
2. Doctrina de materia et forma sacramentorum 27
3. Ratio huius articuli. 28
4. PROP. — Ad sacramenta requiruntur res sensibiles . . . 29
5. Probatur ex auctoritate 29
6. Ratio theologica 30
7. Exponitur 30
8. Confirmatur 31
9 Ulterius explicatur 31
10. SOLVITUR TACITA OBIECTIO 32
11. QUAESTIO — *Utrum dici possit sacramentum esse materiale vel corporale elementum?* 33
12. SOLVITUR TACITA DIFFICULTAS 34

ART. V. — *Utrum requirantur determinatae res ad sacramenta.*

1. Ratio articuli 35
2. PROP. — In sacramentis novae Legis oportet uti rebus ex divina institutione determinatis 35
3. Auctoritates 35
4. Prob. rat. theologica 36
5. Evolvitur argumentum 36
6. Confirmatur 37
7. Materia proxima et materia remota 37
8. Comparatio inter legem Christi et legem naturae . . . 38
9. SOLVITUR TACITA OBIECTIO 38
10. Advertendum. — Quod hic dicitur, aeque valet pro sacramentis novae Legis et veteris Legis 38
11. DIFFICULTAS SOLVITUR 38

ART. VI. — *Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba.*

1. Verbum proprie et metaphorice acceptum 39
2. Ratio articuli 40
3. Errores 40
4. PROP. — α) Requiritur ut in sacramentorum significatione verba rebus sensibilibus adiungantur; β) et quidem, non verba concionatoria, sed consecrativa vel sanctificativa 41
5. Prob. 1ª Pars 41

Paginae

6. Notandum circa locum S. Pauli, Eph., V, 25, 26 . . . 41
7. Ostenditur propositio 42
8. Evolvitur argumentum 42
9. Prob. 2ª Pars 43
10. Quaestio. — *Utrum etiam in sacramentis veteris Legis adhibebatur aliqua forma verborum?* 45
11. Solvitur difficultas 45
12. Corollaria. — I. Sacramentum non est materia sola nec forma sola, sed id quod ex illis, tanquam partibus essentialibus, perficitur — II. Huiusmodi partes debent esse simul, saltem morali coniunctione 46

Art. VII. — *Utrum requirantur determinata verba in sacramentis.*

1. Usus verborum in diversis idiomatibus 47
2. Solvitur tacita obiectio 47
3. Prop. — In sacramentis requiruntur determinata verba . . 47
4. Probatur ratione theologica 48
5. Quaestio I. — *Quaenam voces assumi debent in sacramentorum significatione?* 48
6. Quaestio II. — *Quaenam verborum corruptio irritum facit sacramentum?* 49

Art. VIII. — *Utrum liceat aliquid addere verbis in quibus consistit forma sacramentorum.*

1. Ratio praesentis dubii 50
2. Intentio huius articuli 51
3. Norma generalis 51
4. Prop. I. — Si diminuatur aliquid eorum quae sunt de substantia formae sacramentalis, non perficitur sacramentum . 52
5. Ostenditur 52
6. Prop. II. — Si subtrahatur aliquid quod non sit de substantia formae, non tollitur perfectio sacramenti 52
7. Ostenditur. 53
8. Prop. III. — Si apponatur aliquid formae sacramentali, quod sit corruptivum debiti sensus, talis additio tollit veritatem sacramenti 53
9. Ostenditur 53
10. Prop. IV. — Si formae sacramenti apponatur aliquid, quod non auferat debitum sensum, non tollitur veritas sacramenti . . 53
11. Ostenditur 53
12. Solvitur tacita difficultas 54

Paginae

13. Quaestio I. — *Utrum valeret baptismus, si quis diceret:* Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Beatae Virginis Mariae? 54
14. Quaestio II. — *Quaenam verborum interruptio sit compossibilis cum veritate sacramenti?* 55
15. Quaestio III. — *Utrum verborum repetitio irritum reddat sacramentum?* 55
16. Quaestio IV. — *Utrum idiomatis mutatio stare possit cum veritate sacramentorum?* 55
17. Scholion. — Modi quibus induci potest mutatio in sacramentis 56

QUAESTIO SECUNDA.

(LXI)

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM

Prologus.

1. Quo sensu ly necessarium hic sumatur 57
2. Sacramentorum necessitas relate ad societatem . . . 57
3. Ordo quaestionis 58

Art. I. — *Utrum sacramenta sint necessaria ad salutem humanam.*

1. Ratio huius articuli 59
2. Efficacia passionis Christi 60
3. Prop. — Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem . 60
4. Auctoritas 60
5. Prob. ratione theologica triplici 60
6. Confirmatur 61
7. Corollarium. — Per sacramenta, homo eruditur per sensibilia, secundum affectum humiliatur, exercetur in bonis actibus et a noxiis praeservatur 62
8. Scholion. — Quo pacto paganis quoque et libero-muratoribus sua sint sacramenta 62
9. Ethnicorum mysteria seu sacramenta 63
10. Modernorum rationalistarum error 64

Art. II. — *Utrum, etiam ante peccatum, fuerint homini necessaria sacramenta.*

1. Duplex modus consequendi gratiam 65
2. In statu innocentiae fuerunt sacramenta late accepta . . 65
3. In statu innocentiae sacramenta proprie dicta non fuerunt . 66

Paginae

4. Sensus quaestionis 66
5. Prop. — In statu innocentiae ante peccatum sacramenta, qualia sunt apud nos, necessaria minime fuerunt 67
6. Probatur 67
7. Explicatur 67
8. Scholia. — I. Homo, in statu innocentiae, per intelligibiles effectus, ad Dei cognitionem pervenisset. — II. Proles, in statu innocentiae, fuisset generata in gratia, ideoque solo Dei influxu et libera sua cooperatione, supernaturalem perfectionem esset consecuta 68

Art. III. — *Utrum post peccatum, ante Christum, sacramenta debuerint esse.*

1. Ratio articuli 69
2. Prop. — Necessarium fuit post peccatum, ante Christi adventum, quaedam sacramenta institui 69
3. Probatur 69
4. Difficultas solvitur 70
5. Lex naturae et lex scripta 70
6. Differentia inter sacramenta legis naturae et sacramenta legis mosaicae 71
7. Quomodo sacramenta legis naturae instituta fuerint . . 72
8. Quaestio I. — *Utrum parvulis, sub lege naturae, fuerit aliquod sacramentum ordinatum ad deletionem peccati originalis?* . 72
9. Scholion. — Idem remedium quod valuit in lege naturae, valuit etiam pro parvulis iudaicis ante octavum diem quo circumcidi debebant 73
10. Solvitur tacita difficultas 74
11. Oblatio facta a Melchisedech. 74
12. Signum poenitentiale in lege naturae 75
13. Quaestio II. — *Quaenam fuerunt sacramenta sub lege Moysi?* 75
14. Analogia inter sacramenta veteris et novae Legis . . . 76
15. Sacramenta veteris Legis ordinabantur ad gratiam ex opere operato moraliter 77
16. Advertendum. — Quo sensu dixerit aliquando S. Thomas, circumcisionem non contulisse gratiam ex opere operato . . 78

Art. IV. — *Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta.*

1. Ratio articuli 78
2. Status Legis novae 79
3. Prop. — Oportet sacramenta novae Legis alia esse a sacramentis veteris Legis 79

Paginae

4. Probatur 79
5. Explicatur 79
6. QUAESTIO. — *In quonam sacramenta novae Legis excellunt sacramentis veteris Legis?* 80
7. DIFFICULTAS SOLVITUR 80
8. SCHOLION. — Nexus inter duas priores quaestiones et quaestionem subsecuturam 81

QUAESTIO TERTIA

(LXII)

DE PRINCIPALI EFFECTU SACRAMENTORUM QUI EST GRATIA.

Prologus.

1. Ratio huius quaestionis 82
2. Sacramenta novae Legis sunt media ad gratiam habendam . 82
3. Quo modo sacramenta novae Legis conferunt gratiam . . 83
4. Ordo quaestionis 83

ART. I. — *Utrum sacramenta sint causa gratiae.*

1. In sacramentis novae Legis transcenditur ratio signi . . 85
2. Sententia reprobanda 86
3. Sententia Novatorum 87
4. Positio ecclesiae anglicanae 87
5. Causa principalis et causa instrumentalis 88
6. PROP. — α) Causare gratiam per modum causae principalis, solius Dei est; β) per modum autem instrumenti, competit sacramentis novae Legis 88
7. Prob. 1ª Pars 88
8. Prob. 2ª Pars 89
9. COROLLARIUM. — Sacramenta corporalia novae Legis, per propriam operationem quam exercent circa corpus quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina circa animam 89
10. Sacramenta novae Legis sunt signa practica gratiae . . 90
11. Excluduntur Novatorum errores 90
12. SOLVITUR DIFFICULTAS 91
13. QUAESTIO. — *Quisnam sit sensus verborum S. Petri* (1 Ep., III, 21): QUOD ET VOS NUNC SIMILIS FORMAE SALVOS FACIT BAPTISMA, NON CARNIS DEPOSITIO SORDIUM, SED CONSCIENTIAE BONAE INTERROGATIO IN DEUM? 92

Paginae

ART. II. — *Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtuum et donorum.*

1. Quid sit gratia virtutum et donorum 93
2. Ratio articuli 93
3. PROP. — Gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et super virtutes et dona, divinum quoddam auxilium ad consequendum sacramenti finem 94
4. Ostenditur 94
5. COROLLARIUM. — Requiritur gratia sacramentalis quantum ad quosdam speciales effectus, necessarios ad vitam christiane traducendam 94
6. QUAESTIO I. — *Quid est auxilium illud quod per gratiam sacramentalem confertur homini?* 95
7. QUAESTIO II. — *Quinam sunt effectus singulorum sacramentorum proprii?* 95
8. ADVERTENDA. — I. Gratia sacramentalis potest interdum haberi sine sacramento. — II. Unusquisque dignum se exhibere debet, qui effectus proprios gratiae sacramentalis recipiat . 96

ART. III. — *Utrum sacramenta novae Legis contineant gratiam.*

1. Quibus modis aliquid continetur in alio 97
2. PROP. — α) Sacramenta continent gratiam, β) eo modo quo effectus continetur in causa analogica instrumentali . . . 98
3. PRIMA PARS est de fide 98
4. Prob. SECUNDA PARS 98
5. Sacramenta rite dicuntur vasa gratiae. 98
6. Figura ubertatis gratiae in sacramentis contentae . . . 99
7. SCHOLION. — Gratia diversimode continetur in causa principali, in instrumento, et in subiecto 99
8. SOLVITUR DIFFICULTAS 100

ART. IV. — *Utrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiae causativa.*

1. Quid doceant qui tenent causalitatem moralem sacramentorum 100
2. Sententia S. Bonaventurae 101
3. PROP. — In sacramentis inest quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum 102
4. Probatur haec veritas ex auctoritate 102
5. Ostenditur singula sacramenta gratiam causare propria sua actione 103

Paginae

6. Traditio Ecclesiae 104
7. Liturgia 105
8. Solvuntur difficultates ex Patribus 105
9. Probatur ratione theologica 106
10. Confirmatur 106
11. Quaestio. — *Quid est ista virtus instrumentalis?* . . . 107
12. Virtus instrumentalis est per modum intentionis . . . 107
13. In quonam praedicamento debeat ista virtus reponi . . . 108
14. In quonam subiecto resideat ista virtus 108
15. Scholion. — Quanto maior est subiecti recipientis cooperatio, tanto maior gratia confertur homini 109
16. Solvuntur difficultates 110
17. Quomodo sententia tenentium causalitatem moralem sacramentorum deroget perfectioni universi 112

Art. V. — *Utrum sacramenta novae Legis habeant virtutem ex passione Christi.*

1. Ratio articuli 113
2. Prop. I. — Virtus salutifera sacramentorum a divinitate Christi per eius humanitatem in sacramenta derivatur. 114
3. Probatur ratione theologica 114
4. Solvitur tacita obiectio 114
5. Prop. II. — Sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi 115
6. Auctoritas Patrum et Ecclesiae 115
7. Probatur ex signo 116
8. Probatur ratione theologica 117
9. Scholion. — Fides requiritur, ut ad nos usque virtus passionis Christi continuetur 118
10. Quaestio. — *Quisnam est sensus horum verborum* (Rom., IV, 25): (Christus) resurrexit propter iustificationem nostram? 118

APPENDIX.

De auctoritate Glossae.

Art. VI. — *Utrum sacramenta veteris Legis causarent gratiam.*

1. Ratio articuli 121
2. Prop. — Sacramenta veteris Legis non habebant in se aliquam virtutem qua operarentur ad conferendam gratiam sanctificantem, sicut habent sacramenta novae Legis 121

Paginae

3. Auctoritas Conciliorum 122
4. Verba S. Pauli 122
5. Patrum doctrina 123
6. Probatur ratione theologica 123
7. Probatur minor per partes 123
8. Explicatur 124
9. Corollarium. — Novatorum error confundentium sacramenta novae Legis cum sacramentis veteris Legis 124

APPENDIX I.

An sacramenta novae Legis attingant ipsammet productionem gratiae, vel tantummodo dispositiones ad gratiam.

1. Sententia S. Thomae iunioris 125
2. Indubium est S. Thomam docuisse sacramenta ordinari ad causandam gratiam instrumentaliter. 126
3. Scholion. — Dignitas sacerdotii catholici 127
4. Sacramenta producunt non solum gratiam, sed etiam dispositiones ad gratiam 128
5. Munus characteris 128
6. Sacramentum, res et sacramentum, et res tantum . . . 129

APPENDIX II.

Quid sit sacramenta novae Legis gratiam conferre ex opere operato instrumentaliter.

1. Ratio quaesiti 130
2. Quid sit opus operatum 130
3. Quid sit sacramenta novae Legis gratiam conferre ex opere operato 131
4. Opus operatum physice et moraliter 132
5. Duplex sanctificatio 132
6. Quid praestiterint sacramenta veteris Legis 132
7. Sacramentum veteris Legis, quod fuit circumcisio, ordinabatur ad gratiam ex opere operato, non physice, sed moraliter . 133
8. Quaestio. — *Utrum cetera veteris Legis sacramenta gratiam causarent ex opere operato moraliter?* 135

Paginae

APPENDIX III.

De reviviscentia effectus sacramenti ficte suscepti.

1. Ratio dubitationis 136
2. Quid et quotuplex sit fictio 136
3. Sacramenta ficte suscepta, remota fictione, reviviscunt . . 136
4. Quanam ratione sacramenta ficte suscepta reviviscunt . . 138
5. Adnotandum circa sacramentum Eucharistiae 139

QUAESTIO QUARTA.

(LXIII)

DE EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER.

Prologus.

1. Ratio huius quaestionis 140
2. Ordo quaestionis 140

ART. I. — *Utrum sacramentum imprimat characterem in anima.*

1. Quid per characterem intelligatur 142
2. Quid sit character sacramentalis 142
3. PROP. — Cum homines per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale, pertinens ad cultum Dei, consequens est quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur . . . 143
4. Auctoritas Ecclesiae 143
5. Patrum testimonia 144
6. SCHOLION. — Inanitas calumniae Lutheri, dicentis characterem esse figmentum recentiorum theologorum 145
7. Probatur propositio ratione theologica 145
8. SOLVITUR DIFFICULTAS 146
9. QUAESTIO. — *Utrum sacramenta veteris Legis characterem impresserint?* 146
10. Doctrina Cardinalis Caietani 147

ART. II. — *Utrum character sit spiritualis potestas.*

1. Ratio articuli 148
2. Character est res et sacramentum 148
3. Character non est substantia. 149
4. Novatorum error 149
5. PROP. I. — Character non est ens rationis 150
6. Probatur 150

Paginae

7. Prop. II. — Character non est relatio realis 150
8. Exponitur. 150
9. Character est qualitas 151
10. Prop. III. — Character non est habitus 151
11. Probatur 151
12. Solvitur Suarezii difficultas. 152
13. Prop. IV. — Character non est passio 152
14. Probatur 152
15. Solvitur difficultas 152
16. Prop. V. — Character non est figura, quae est in quarta specie qualitatis 153
17. Probatur 153
18. Prop. VI. — Character importat quamdam potentiam spiritualem, ordinatam ad ea quae sunt divini cultus 153
19. Probatur 153
20. Confirmatur 154
21. Characteris officium 154
22. Quaestio — *Qualis est huiusmodi spiritualis potestas, quae est character?* 154

Art. III. — *Utrum character sacramentalis sit character Christi.*

1. Ratio articuli 155
2. Character consideratus secundum rationem sacramenti et secundum rationem rei 455
3. Prop. I. — Character sacramentalis, sumptus secundum rationem rei, specialiter est character Christi, maxime ut est sacerdos 156
4. Probatur 156
5. Auctoritas S. Petri. 156
6. Prop. II. — Character sacramentalis, sumptus secundum rationem sacramenti, attribuitur α) interdum Spiritui Sancto ; β) interdum Sanctissimae Trinitati ; γ) interdum Verbo Dei . 157
7. Exponitur 157
8. Qua ratione character sacramentalis attribuitur Spiritui Sancto 157
9. Quomodo character sacramentalis attribuitur Sanctissimae Trinitati 158
10. Quo pacto character sacramentalis attribuitur Verbo Dei . 158
11. Quaestio. — *Quid intelligitur per characterem bestiae, quo filii perditionis notari dicuntur?* 158
12. Corollarium. — Quo pacto ii, qui contra Christum bella gerunt, diaboli, ducis sui, charactere notantur 159

Paginae

ART. IV. — *Utrum character sit in potentiis animae sicut in subiecto.*

1. Sententiae. 159
2. PROP. I. — Character sacramentalis non subiectatur in essentia animae, sed in potentiis 160
3. Probatur 160
4. Confirmatur 160
5. SOLVUNTUR DIFFICULTATES 161
6. PROP. II. — Character sacramentalis non est in voluntate, ut in subiecto 161
7. Probatur 162
8. SOLVITUR DIFFICULTAS 162
9. PROP. III. — Character sacramentalis non subiectatur in potentia executiva 162
10. Probatur 162
11. Solvitur tacita obiectio 163
12. PROP. IV. — Character sacramentalis subiectatur in intellectu 163
13. Probatur 163
14. Character non est simul in intellectu et voluntate . . . 164

APPENDIX.

Quo sensu dicitur character dispositio ad gratiam.

1. Quanti referat praesentis dubii recta solutio 164
2. Quo pacto recipienti characterem gratia datur 165
3. Praesens doctrina exemplis illustratur. 165
4. Verba Cardinalis Caietani 165

ART. V. — *Utrum character insit animae indelebiliter.*

1. Ratio articuli 167
2. PROP. — Character sacramentalis indelebiliter manet in anima 167
3. Auctoritas Concilii Tridentini. 167
4. Probatur traditione Patrum 167
5. Probatur ratione theologica 168
6. QUAESTIO — *Utrum Christo competat habere characterem?* . 169
7. Cur gratia, secus ac character, delebiliter animae inhaereat . 169
8. Explicatur 179
9. SOLVITUR DIFFICULTAS 170

Paginae

ART. IV. — *Utrum per omnia sacramenta novae Legis imprimatur character.*

1. Quid praestent omnia sacramenta. 171
2. PROP. — Per tria tantum sacramenta novae Legis, character imprimitur, scilicet per baptismum, confirmationem et ordinem 172
3. Infallibilis Ecclesiae auctoritas 172
4. Patrum traditio 172
5. Probatur ratione theologica 173
6. Cur in poenitentia, extrema unctione, matrimonio et Eucharistia, non imprimatur character 173
7. Ratio characteris in baptismate, confirmatione et ordine . . 174
8. SCHOLION. — In baptismo, potentia characteris est passiva; in confirmatione, est partim passiva, partim activa; in ordine est activa 174
9. Verba S. Bonaventurae 175
10. Verba Patris Monsabré 175

QUAESTIO QUINTA.

(LXIV)

DE CAUSA SACRAMENTORUM.

Prologus.

1. Ratio huius quaestionis 178
2. Ordo huius quaestionis 178

ART. I. — *Utrum solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti.*

1. Causa principalis et causa ministerialis 181
2. PROP. — α) Deus solus operatur effectum sacramenti tamquam principale agens; β) homo autem potest ad huiusmodi effectum concurrere per modum ministri 181
3. Probatur 1ª Pars 181
4. Confirmatur 182
5. Probatur 2ª Pars 182
6. SCHOLION. — Quo sensu sacerdotibus commissa est potestas remittendi peccata 183
7. Potestas ministrorum operandi effectum sacramenti est alligata ipsis sacramentis 183
8. Officia hierarchica in Ecclesia Christi 183
9. QUAESTIO. — *Quorsum tendant orationum suffragia, quae in sacramentorum administratione offeruntur?* 184

Paginae

ART. II. — *Utrum sacramenta sint solum ex institutione divina.*

1. Ratio articuli 185
2. PROP. — Solus Deus est sacramentorum institutor ex auctoritate 175
3. Suadetur 185
4. Probatur ratione theologica 186
5. Explicatur 186
6. Confirmatur 186
7. SCHOLION. — Non est credendum, Deum quibusdam significationibus delectari potius quam aliis; attamen res sensibiles aliquid de se significant 187

APPENDIX I.

Utrum Christus Dominus omnia sacramenta per seipsum directe instituerit.

1. Ratio quaestionis 188
2. PROP. — Solus Christus, ut homo, est auctor ministerialis sacramentorum 188
3. Auctoritas 188
4. COROLLARIUM. — Sustineri nequit opinio dicentium aliqua sacramenta, ut confirmationem et extremam unctionem, fuisse ab Apostolis vel ab Ecclesia instituta 189
5. SOLVITUR TACITA DIFFICULTAS 189
6. Confirmatur 190
7. Reiiciuntur modernisticae de sacramentorum origine positiones. 190
8. Modernisticus de sacramentorum valore conceptus . . . 192
9. Ratio silentii Scripturarum circa divinam quorumdam sacramentorum institutionem, aut circa res quibus Ecclesia in sacramentorum administratione utitur 193
10. Arcani disciplina 194
11. Liber de Ecclesiastica Hierarchia. 194

APPENDIX II.

Qualiter determinavit Christus tum materiam, tum formam sacramentorum.

1. Quotuplex sit determinatio 195
2. PROP. — Res et verba, in omnibus sacramentis novae Legis, divinitus determinata sunt, non solum in genere, sed etiam in specie infima 196

Paginae

3. Auctoritas S. Thomae et Benedicti XIV 196
4. Error 197
5. Probatur propositio. 197
6. Confirmatur. 198
7. Sententia Emi. Card. Billot 199
8. Determinatio ex parte materiae et ex parte formae . . . 199
9. Scholia. — I. Christus rem aliquorum sacramentorum, etiam quoad accidentia, determinavit. — II. Ecclesia, tamquam instrumentum Spiritus Sancti, aliquid circa sacramenta statuere potest 200
10. Solvuntur difficultates 201

APPENDIX III.

Quaenam fuerit Apostolorum aut eorum successorum potestas circa sacramenta.

1. Apostoli eorumque successores nova sacramenta instituere nequiverunt. 202
2. Ecclesiae potestas circa dispensationem sacramentorum . . 202
3. Probatur huius potestatis existentia 203
4. Scholion. — Ecclesia utitur iure suo, cum impedimenta circa matrimonium constituit 203

APPENDIX IV.

Utrum Ecclesiae competat potestas caeremonias et ritus in sacramentorum administratione instituendi.

1. Quid sint caeremoniae et ritus 204
2. Variae caeremoniarum species 204
3. Prop. — Ecclesiae ius inest, ritus et caeremonias instituendi in sacramentorum administratione. 205
4. Verba S. Pauli 205
5. Ratio theologica 205
6. Ecclesiae traditio 206
7. Caeremoniarum utilitas 206
8. Solvuntur difficultates 207
9. Quaestio I. — *Utrum dici possit Ecclesia sacramentorum ritus a Iudaeis, vel etiam ab ethnicis desumpsisse?* . . . 208

Paginae

APPENDIX V.

Utrum Ecclesia convenienter adhibuerit linguam latinam in sacramentorum administratione.

1. Usus linguae latinae 209
2. Utilitates idiomatis latini 209
3. Differentia inter sectas protestanticas et Ecclesiam catholicam 210
4. SOLVITUR TACITA DIFFICULTAS 210

ART. III. — *Utrum Christus, secundum quod homo, habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum.*

1. Quid praestiterit Christus ut Deus, quid ut homo, circa sacramenta. 210
2. Ratio praesentis quaesiti 211
3. PROP. — Christo homini competit circa sacramenta potestas ministerii principalis, seu potestas excellentiae. . . . 212
4. Auctoritas Sacrae Scripturae. 212
5. Confirmatur 212
6. Prob. rat. theologica 212
7. In quonam consistit haec potestas excellentiae Christi Domini circa sacramenta 213
8. Verba S. Pauli 213

ART. IV. — *Utrum Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare.*

1. Potestas auctoritatis, quae Christo competit secundum quod Deus est, est incommunicabilis creaturae 214
2. PROP. — Potuisset Christus, si voluisset, potestatem excellentiae, quam habet in sacramentis, ministris communicare. . 215
3. Auctoritas . . . . . .
4. Ratio theologica 215
5. SOLVITUR TACITA DIFFICULTAS 215
6. QUAESTIO. — *Quare noluit Christus Dominus potestatem excellentiae, quam habet in sacramentis, communicare ministris?* . 216
7. SCHOLION. — Repugnat esse plura capita ex aequo in Ecclesia ; possunt tamen esse plura capita subordinate . . . 217

Paginae

ART. V. — *Utrum per malos ministros sacramenta conferri possint.*

1. Necessitas ministri ad sacramentorum confectionem . . . 217
2. Determinatus minister pro singulis sacramentis 218
3. Ratio articuli 218
4. Errores 219
5. PROP. — Ministri Ecclesiae possunt sacramenta valide conferre, etiamsi sint mali, et quidem, sive sint occulte, sive notorie mali 219
6. Auctoritas Conciliorum et Sacrae Scripturae 219
7. Ecclesiae traditio 220
8. Probatur ratione theologica 221
9. Explicatur 221
10. SCHOLION. — Licet effectus sacramenti non pendeat a bonitate ministri, minister tamen, ex sua devotione, aliquid impetrare potest suscipienti 222
11. Confirmatur 222
12. SOLVITUR TACITA OBIECTIO 223
13. DIFFICULTAS 223
14. COROLLARIUM 224

ART. VI. — *Utrum mali ministrantes sacramenta peccent.*

1. Ratio articuli 224
2. PROP. — Peccatores sacramenta ministrantes peccant peccato sacrilegii, quod ex genere suo mortale est. 225
3. Probatur auctoritate Sacrae Scripturae et ratione theologica . 225
4. Confirmatur 225
5. Ecclesiae traditio 226
6. Quanam peccati specie indigne ministrantes peccent . . 226
7. Iuris canonici praescriptiones. 226
8. Differentia inter sacramenta et opera caritatis 227
9. QUAESTIO I. — *Utrum liceat a malis ministris sacramenta recipere?* 227
10. QUAESTIO II. — *Quid praestandum sit ministro qui, in peccato mortali existens, sacramenta dispensare debet?* 228
11. QUAESTIO III. — *Utrum haereticis vel schismaticis liceat sacramenta Ecclesiae administrare?* 229

Paginae

ART. VII. — *Utrum angeli possint sacramenta ministrare.*

1. Scoti hac in re sententia 229
2. PROP. I. — De lege Dei ordinaria, ad solos homines, non ad angelos, pertinet sacramenta dispensare 230
3. Auctoritates 230
4. Probatur ratione theologica 230
5. SOLVUNTUR DIFFICULTATES 231
6. PROP. II. — Potest Deus etiam angelis tribuere virtutem ministrandi in sacramentis 232
7. Probatur 232
8. Distinctio inter angelos bonos et malos 232
9. SOLVITUR DIFFICULTAS 233
10. SCHOLION. — Quo pacto aliquod sacramentum per ministerium bonorum angelorum administrari possit 233

ART. VIII. — *Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.*

1. Ratio quaestionis 234
2. Errores 234
3. PROP. I. — Intentio ministri necessaria est ut sacramentum subsistat 234
4. Auctoritas 234
5. Probatur ratione theologica 235
6. SOLVITUR TACITA DIFFICULTAS 235
7. Confirmatur 236
8. Intentio externa, seu operis externi 236
9. PROP. II. — Pro sacramentorum validitate, non sufficit intentio ponendi actionem tantummodo externam, sed requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia, actionem scilicet sacram a Christo institutam 237
10. Probatur ex auctoritatibus 237
11. Probatur ratione theologica 238
12. SCHOLION. — Sapiens monitum Benedicti XIV de sacramento collato citra intentionem faciendi quod facit Ecclesia . . 238
13. Doctrina S. Thomae 238
14. SOLVITUR TACITA OBIECTIO 239
15. COROLLARIUM. — Ubi deest in ministro intentio vere faciendi id quod facit Ecclesia, sacramentum non perficitur. . . 239
16. Quid de sacramento per iocum dato sit decernendum . . 240
17. QUAESTIO. — *Estne necesse, ad validitatem sacramenti ut quis intendat facere quod facit Ecclesia Romana?* 241

Paginae

18. Scholion. — Si quis vere intendat facere id quod facit Ecclesia, etsi contradicat effectui sacramenti, valet sacramentum . 241
19. Quotuplex sit intentio 241
20. Adnotanda 243
21. Prop. — Ad sacramenta valide conficienda, α) non sufficit intentio interpretativa, β) vel habitualis; γ) nec tamen requiritur intentio actualis; δ) sed sufficit virtualis intentio . . 243
22. Probatur 1ª Pars 244
23. Probatur 2ª Pars 244
24. Probatur 3ª Pars 244
25. Exponitur 4ª Pars 244
26. Scholion — Minister curare debet ut actualem intentionem habeat, et quidem, in actu exercito. 245

Art. IX. — *Utrum fides ministri sit de necessitate sacramenti.*

1. Errores 245
2. Prop. — Non requiritur ad perfectionem sacramenti fides ministri 246
3. Auctoritas 246
4. Traditio 246
5. Falsa S. Cypriani positio 247
6. Probatur ratione theologica 248
7. Aliqua fides requiritur ad validam sacramentorum collationem
8. Explicatur 248
9. Suspensi, excommunicati et degradati possunt valide, etsi illicite, sacramenta ministrare 249
10. Corollarium. — Haeretici, qui formam sacramentorum negligunt nec sacramentum conficiunt, nec rem sacramenti; qui vero eam observant, sacramentum quidem conferunt, sed non rem sacramenti 249
11. Communicatio cum haereticis vetita 250
12. Verba Leonis XIII 250

Art. X. — *Utrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.*

1. Ratio praesentis articuli 251
2. Prop. — Minister qui sacramentum conficere intendit iuxta morem Ecclesiae, attamen ob finem malum, conficit quidem vere; at ex tali intentione graviter peccat 252
3. Probatur 252
4. Explicatur 252

Paginae

5. Corollarium. — Aliud iudicium ferendum est de intentione perversa respiciente usum sacramenti, et aliud de intentione ludicra vel iocosa 252

APPENDIX I.

De intentione requisita in subiecto suscipiente sacramentum.

1. Ratio huius quaestionis 253
2. Praenotanda 253
3. Prop. I. — Ad sacramenti valorem non requiritur vera fides formaliter, nisi pro sacramento poenitentiae 254
4. Probatur 254
5. Prop. II. — In parvulis et perpetuo dementibus nulla requiritur intentio ad valide suscipienda sacramenta quorum illi sunt capaces 255
6. Probatur 255
7. Prop. III. — In adulto ad validam susceptionem sacramenti, requiritur aliqua intentio interna illud ut rem sacram suscipiendi, praeter Eucharistiam, quae consistit in re permanenti . 255
8. Auctoritates 255
9. Ratio theologica 256
10. Solvuntur difficultates 256
11. Quaestio. — *Qualis intentio requiritur in adulto ad sacramentum valide suscipiendum?* 258
12. Sacramenta vivorum et sacramenta mortuorum. . . . 260
13. Quaestio. — *Quaenam dispositiones requiruntur in subiecto ad licitam et salutiferam sacramentorum susceptionem* . . . 260

APPENDIX II.

Utrum distinguendum sit inter mortem apparentem et mortem realem, ita ut liceat homini post mortem apparentem sacramenta ministrare?

1. Distinctio inter mortem apparentem et mortem realem . . . 261
2. Repentini casus lethales. 261
3. Novitas sententiae ponentis mortem realem semper subsequi mortem apparentem 262
4. Solvitur tacita difficultas 262
5. Nutans huius sententiae fundamentum. 263
6. Sententia quae tenet mortem realem semper posteriorem esse

Paginae

morte apparente, est a communi hominum, Ecclesiae ac Scripturae sensu dissona 263
7. Notandum. 264
8. Organisatio biologica 265
9. Distinctio inter morbos lethales repentinos et diuturnos . . 265
10. Anima rationalis nequit informare nisi corpus convenienter dispositum 266
11. In morbis diuturnis anima in corpore non perdurat post mortem apparentem 266
12. Quaenam inconvenientia sequantur ex sententia quam impugnamus 267
13. Conclusio 268

QUAESTIO SEXTA

(LXV)

DE NUMERO SACRAMENTORUM.

Prologus.

1. Divinae pietatis abundantia 269
2. Novatorum impugnationes 269
3. Ordo quaestionis 270

ART. I. — *Utrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiae.*

1. Divina virtus pluribus instrumentis utitur 271
2. Errores 272
3. Modernistica positio 273
4. PROP. — Septem sunt, nec plura, nec pauciora, novae Legis sacramenta 274
5. Auctoritates de fide 274
6. Patrum traditio 274
7. Adnotanda circa Patrum scripta 276
8. Argumentum ex praescriptione 277
9. SCHOLION. — Cyrilli Lucaris, quondam Patriarchae Constantinopolitani, placita, minime repraesentant fidem Ecclesiae graecae 279
10. Ostenditur convenientia numeri septenarii sacramentorum . 280
11. I. Ex hoc quod sacramenta pertinent ad cultum Dei . . 280
12. Vanae nonnullorum in scholasticos doctores irrisiones . . 283
13. II. Convenientia numeri septenarii in sacramentis, ex hoc quod sacramenta ordinantur contra defectum peccatorum. . . 283
14. Confirmatur 284

Paginae

15. Scholia. — I. Per septem sacramenta sufficienter subvenitur defectui peccati. — II. In veteri Testamento non debuit esse sacramentum correspondens confirmationi et extremae unctioni. — III. Cur contra luxuriae vitium speciale sacramentum est institutum 285
16. Solvuntur obiectiones. 862
17. Quaestio. — *Cur ablutio pedum, de qua apud S. Ioannem* (XIII), *non sit habenda tanquam novae Legis Sacramentum?* . . 286
18. Doctrina SS. Ambrosii et Bernardi 287
19. Scholion. — Apostolicae traditioni, de septenario sacramentorum numero, tribui debet quod pedum lotio inter sacramenta non sit recensenda. 288

APPENDIX.

Rationes numeri septenarii sacramentorum secundum S. Bonaventuram.

1. S. Bonaventurae doctrina ad doctrinam S. Thomae relata . 288
2. Congruentia septenarii numeri ex septem plici morbo . . 289
3. Ex usu septem virtutum 290
4. Ex armatura septiformis gratiae 290
5. Notandum. 291

Art. II. — *Utrum sacramenta convenienter ordinentur secundum modum praedictum.*

1. Ratio articuli 291
2. Prop. — Sacramenta convenienter ordinantur secundum modum in conciliis Florentino et Tridentino assignatum . . . 292
3. Ostenditur. — α) Ordo et matrimonium debent poni ultimo loco 292
4. Solvitur tacita difficultas 292
5. β) Matrimonium ponendum est post ordinem 292
6. Solvitur tacita obiectio 292
7. γ) Baptismus, confirmatio et Eucharistia debent poni ante poenitentiam et extremam unctionem 293
8. δ) Extrema unctio est post poenitentiam enumeranda . . 293
9. ε) Inter tria priora sacramenta, baptismus praecedit alia duo; quem sequitur confirmatio; post quam ponitur Eucharistia . 294
10. Solvuntur difficultates 294
11. Schema 295

Paginae

ART. III. — *Utrum sacramentum Eucharistiae sit potissimum inter sacramenta.*

1. Inaequalitas inter sacramenta 295
2. Duplex modus comparandi sacramenta ad invicem . . . 296
3. PROP. I. — Simpliciter loquendo, sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta 296
4. Auctoritates 296
5. Probatur rat. theol. — I. Ex eo quod in sacramento Eucharistiae continetur 297
6. II. Ex ordine sacramentorum ad invicem 297
7. SCHOLION. — Quomodo per extremam unctionem praeparatur homo ad digne sumendum corpus Christi 298
8. III. Ex ritu sacramentorum 298
9. Comparatio diversorum sacramentorum ad invicem secundum unum aliumve respectum 299
10. COROLLARIUM. — Quo pacto unum alterumve ex sacramentis potest ceteris excellentius inveniri 299
11. SOLVITUR DIFFICULTAS 300

ART. IV. — *Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis.*

1. Duplex necessarium relate ad finem 301
2. Sacramenta novae Legis nec sunt superflua, nec tamen omnia necessaria 301
3. PROP. I. — Tria sacramenta necessaria sunt necessitate simpliciter ad salutem: videlicet baptismus, poenitentia et ordo. 301
4. Ostenditur 302
5. Auctoritas Concilii Tridentini 302
6. PROP. II. — Alia etiam sacramenta necessaria sunt ad salutem, non simpliciter, sed ad bene esse 303
7. Ostenditur 303
8. SOLVITUR DIFFICULTAS 303
9. SCHOLION. — Sine contemptu potest quis praetermittere sacramentum quod non est de necessitate salutis singularis personae 304
10. Nulla sacramenti ordinis percipiendi obligatio 304

Paginae

APPENDIX.

De sacramentalibus.

1. Quid sint sacramentalia 305
2. Ecclesia potestas statuendi sacramentalia 305
3. Ecclesiae doctrina de sacramentalibus 306
4. Quaenam sint sacramentalium genera 307
5. Quinam sint sacramentalium effectus 309
6. Notanda. — I. Praedicta distinctio non est semper obiectorum sese excludentium. — II. Finis sacramentalium est vitam spiritualem in nobis promovere 312
7. Quomodo sacramentalia effectus suos producunt . . . 312
8. Sensus Ecclesiae 313
9. Distinctio inter sacramentalia 314
10. Differentia sacramentalium a sacramentis 315
11. Sacramentalia ordinata ad bona temporalia procuranda, vel ad mala temporalia avertenda 315
12. Sacramentalia consistentia in consecratione vel benedictione rerum ad divinum cultum pertinentium 315
13. Motus poenitentiae necessarius ad remissionem culpae et poenae. 316
14. Solvitur tacita obiectio 316

Epilogus 317

TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS IN COMMUNI

PROOEMIUM

1. — Ratio huius tractatus. — Quaenam sit propria huius tractatus de sacramentis indoles, quo tendat doctrina hic tradenda, quemnam locum occupet in theologico curriculo, quibusve rationibus cum ceteris tractatibus colligetur, melius explicari nequit quam ipsa adferendo verba quibus Tridentini Patres Decretum de sacramentis exordiuntur. *Ad consummationem salutaris de iustificatione doctrinae,* aiunt illi [1],... *consentaneum visum est de sanctissimis Ecclesiae sacramentis agere, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur.*

2. — Ad quamnam theologiae partem pertineat agere de Sacramentis. — Pertinet igitur doctrina de sacramentis Ecclesiae formaliter ad illam sacrae theologiae partem, in qua de hominis iustificatione, quae per gratiam sanctificantem completur, ex professo pertractat, cum illorum munus sit veram iustitiam vel gignere, vel novis accessionibus augere, vel per peccatum amissam restaurare. Quocirca doctrina haec tanquam sequela ha-

1. Sess. VII. Decr. de Sacr. Prooem.

benda est tractatus de gratia, quatenus sacramenta sunt fontes divinitus instituti ad hanc divinam qualitatem vel procurandam in anima, vel fovendam atque nutriendam vel denuo excitandam.

At cum huiusmodi gratiae instrumenta fuerint a Christo, vero Deo et vero homine, instituta; et praeterea, cum omnem suam efficaciam ab eius passione, cuius velut tot derivationes existunt, hauriant, hinc proprius huic tractationi locus assignatur in tertia parte Summae theologicae, videlicet post expensum de Incarnatione Verbi tractatum, quatenus in Sacramentorum institutione, quibus redemptionis opus usque in saeculorum finem continuatur, mirabilis Christi virtus potissime refulget. Quae quidem de Sacramentis tractatio, uti par est, bipartita esse debet, ut scilicet prior consideratio, quam hoc volumine complectimur, sit de sacramentis in communi: altera vero de unoquoque sacramentorum in speciali.

3. — **Sacramentorum conceptus apud mediae aetatis novatores.** — Porro, cum intima, ut diximus, intercedat necessitudo inter sacramenta et iustificationem necnon gratiam sanctificantem, qua illam compleri intelligimus, hinc ex erroneo conceptu quem avitae fidei osores de iustificatione foverunt, pleno fluxerunt alveo eorum placita de sacramentorum natura et officio. Igitur, cum posuerint iustificationem, non in vera peccatorum per gratiam intrinsece sanctificantem, consistere, sed in mera peccatorum, vel potius poenae pro peccatis debitae, non imputatione, vi scilicet fidei apprehendentis iustitiam Dei vel Christi extrinsece imputatam; propterea sacramenta aliud non esse dixerunt, nisi signa externa ad fidem, qua Iesu Christi iustitiam apprehendimus, excitandam ordinata, vel etiam pignora quaedam iustitiae homini per fidem imputatae, vel tesserae quibus dignoscitur quis vel ad talem pertinere societatem vel ad tales promissiones esse praeordinatum.

Sic quippe novatorum parens, Martinus Lutherus, edicere non erubuit [1], *omnia sacramenta ad fidem alendam esse instituta;* iuxta Zwinglium vero [2], sacramenta dantur *in testimonium publicum eius gratiae quae cuique privato prius adest;* Calvinus autem pronunciat [3], mandasse Deum huiusmodi signa hominibus, *ut certiores securosque de promissionum suarum veritate redderet;* demum, pro Melanchtone [4], sacramenta data sunt, ut *essent notae tantum, quibus cognosceretur ad quos pertinerent promissiones divinae* [5].

Omnes igitur istae de sacramentis notiones communem habent originem in Protestantium placito de iustificatione per solam fidem completa, scilicet per externam tantummodo imputationem meritorum Christi [6], et huc omnes pariter tendunt, ut eisdem adimant vim et efficaciam, gratiam, quam significant, in anima producendi, qua Deo grata et velut deiformis evadat.

4. — Modernistarum de sacramentis placita. — Ab his Novatorum mediae aetatis erroribus haud longe distant quae aevo recentiori ii prompserunt, qui dogmatum rationem, ex criterio, ut aiunt, mere historico, conati sunt rimari. Hi nimirum, seposito Ecclesiae magisterio dogmatum originem ex solis historiae fontibus, quibus aetas nostra indulget, haurire praesumentes, primo quidem contenderunt tridentinos de Sacramentis Canones minime respondere illis notionibus quas ea super re colligit solers historiae investigator; qui potius deprehendit conceptum sacramentorum, qualis penes vulgus habetur, deberi cuidam lentae evolutioni et transformationi aliquorum verborum seu actionum Christi; unde,

1. Op. Ienae, 1558, t. III, 266. — 2. In Confess. ad Carol Imp., Op. t. II, p. 541. — 3. Inst., l. IV, c. 14. — 4. Loc. theol., p. 141. — 5. Diversarum Sectarum hac super re placita vide apud Perrone, Tr. de Sacram. in genere, Prooem. — 6. Cf. tr. n. de Gratia, Quaest. CX, art. 1, n. 7, p. 103.

aiunt, gratiam illa minime causant in anima, sed ad summum fidem refovent, beneficam Creatoris praesentiam in hominis mentem revocando: quae quidem illa eademmet est, aliis licet verbis concepta, conclusio, ad quam medii aevi novatores, ex speculationibus metaphysicis, quibus citra ductum Ecclesiae insistebant, pervenerunt.

Sed praestat hac super re ipsa modernistarum verba subnectere, qualia a Pio X referuntur [1]: *Sacramenta autem modernistis nuda sunt symbola seu signa, quamvis non vi carentia. Quam vim ut indicent, exemplo ipsi utuntur verborum quorumdam, quae vulgo fortunam dicuntur sortita, eo quod virtutem conceperint ad notiones quasdam propagandas robustas maximeque percellentes animos. Sicut ea verba ad notiones, sic sacramenta ad sensum religiosum ordinata sunt: nihil praeterea. Clarius profecto dicerent, si sacramenta unice ad nutriendam fidem instituta affirmarent.*

Huc pariter spectant quae habet idem Pius X qui, cum animadvertisset [2] huc conspirasse Novatorum conatus, ut purissimos sacramentorum haustus funditus exsiccent, aut turbulentos faciant quatenus *christianus grex inde arceatur,* — loquens postea de modernistarum placitis, haec addit: *Qua in re profecto turpius agunt recentiores ipsorum asseclae, qui speciem quamdam religionis nobilioris adhibentes, adminicula illa salutis pro minimo ducunt habentque ludibrio, praesertim sacramenta duo, quibus aut admissa poenitentium expiantur, aut caelesti dape roboratur animus. Quapropter optimus quisque summo studio curabit, ut collata tanti pretii dona maximo in honore habeantur, neve patietur in utrumque divinae caritatis opus hominum studia restingui* [3].

1. Ep. Encycl. *Pascendi,* 7 Sept., 1907. — 2. In Encycl. *Editae saepe Dei,* 26 Maii, 1910. — 3. Cf. Prop. 39-41 Decret. *Lamentabili sane exitu,* 3 Iul. 1907. Propositiones huiusmodi suo loco confutabuntur, scilicet, Quaest. LXIV, art. 2, app. I, n. 67.

5. — Vera sacramenti notio. — Reiectis igitur novatorum placitis, debet teologus alta mente sacramenti definitionem retinere, quam tradit Catechismus Romanus, dum ait [1], sacramentum *rem esse sensibus subiectam, quae, ex Dei institutione, sanctitatis et iustitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet:* ubi quod dicitur, *ex Dei institutione,* modernistas directe impetit, huiusmodi institutionem graduali evolutioni humani conceptûs attribuentes; quod vero additur *sanctitatis et iustitiae tum significandae, tum efficiendae,* veteres simul ac recentiores dogmatum perversores confundit, sacramenta reducentes ad mera signa symbolica, quibus nulla virtus insit gratiae in anima producendae.

6. — Qualem thesaurum Ecclesia in sacramentis possideat. — Quae cum ita sint, quam grato animo, quanta cordis exultatione, debet homo fidelis, cui tantus in Ecclesia patet thesaurus, cum regio Psalte exclamare [2]: *Visitasti terram et inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum, quoniam ita est praeparatio eius. Rivos eius inebria, multiplica genimina eius; in stillicidiis eius laetabitur germinans. Benedices coronae anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate. Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.*

Huc etiam pertinet celeber iste locus Isaiae [3]: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris:* nempe fideles, sub nova Lege abundantiam gratiae et donorum Spiritus Sancti ex sacramentis percipiunt; unde Hugo Victorinus testabatur [4], in sacramentis, velut quibusdam vasculis, antidota spiritualia homini porrigi; et Concilia florentinum

1. P. II, cap. I, n. 11. — 2. Ps. LXIV, 10, seq. — 3. XII, 3. — 4. L. I de Sacram., p. IX, c. 3.

et tridentinum recte definierunt novae Legis sacramenta non significare tantum, sed et continere gratiam.

Omnino quoque ad rem faciunt verba Zachariae prophetae [1]: *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas eius super caput ipsius, et septem lucernae eius super illud, et septem infusoria lucernis, quae erant super caput eius.* Per candelabrum aureum intelligi potest Ecclesia quoad electos rutilantibus gratiarum ornamentis decoratos, quos illuminat lampas, scilicet Christus Dominus, qui est lux mundi; per septem lucernas vero quae sunt super candelabrum aureum, intelliguntur septem dona Spiritus Sancti quae descendunt super electos; demum, per septem infusoria quae sunt super caput Ecclesiae et nutriunt lucernas, rite possunt intelligi septem sacramenta Ecclesiae, *quae,* ait Dionysius Cartusianus [2], *sunt vasa medicinalia, gratiae contentiva, significativa et effectiva: efficiunt enim quod repraesentant.*

7. — Aligherii de sacramentorum virtute elegans descriptio. — Non pigebit, in limine huius tractatus, concinnos sublimesque recitare versus, quibus divinus Poeta, sub imagine duplicis fluvii, e Christi latere scaturientis, miram sacramentorum virtutem describit, hinc quidem sacramentorum mortuorum, ad sordes animae abluendas, illinc vero sacramentorum vivorum, ad illam in virtutibus undequaque perficiendam [3].

L'acqua che vedi non sorge di vena
Che ristori vapor che gliel converta,
Come fiume ch'acquista o perde lena:
Ma esce di fontana salda e certa
Che tanto dal voler di Dio riprende,
Quant'ella versa da duo parti aperta.

1. IV, 2. — 2. Enar. in c. IV, Zachar., art. 6. — 3. Purg., Cant. XXVIII, vers. 121, seq.

Da questa parte con virtù discende,
Che toglie altrui memoria del peccato;
Dall'altra, d'ogni ben fatto la rende.
Quinci Letè, così dall'altro lato,
Eunoè si chiama, e non adopra,
Se quinci e quindi pria non è gustato.
A tutt'altri sapori esto è di sopra [1].

8. — **Ordo huius tractatus.** — Ad plene cognoscendam doctrinam de sacramentis in communi, necesse est illa considerare non solum in eorum propria ratione (LX-LXIV), sed etiam in eorum numero, cum quantitas immediate sequatur substantiam rei (LXV). In se autem sacramenta considerari possunt secundum propriam rationem praedicamentalem et principia intrinseca eorum constitutiva (LX), et secundum extrinsecas eorumdem causas (LXI-LXIV). Porro, propria ratio sacramenti est ut sit signum sensibile, et intrinseca eius constitutiva sunt materia et forma, quae sunt causae rei intrinsecae; extrinsecae vero causae duae sunt, scilicet causa finalis (LXI-LXIII) et causa efficiens (LXIV): unde de utraque erit ordinatim agendum. Et quidem, cum agitur de fine, aliud est considerare intentionem finis, aliud vero finis assecutionem: sicut intentio finis in planta est hominis nutritio per fructus quos illa producit; finis vero assecutio est ipsa fructus productio. Agentes ergo de fine sacramentorum, prius inquirere debemus de illorum necessitate secundum diversos hominis status (LXI), et postea de fructu quem sacramenta ipsa nata sunt producere, qui duplex est: nempe, principalis, scilicet gratia sancti-

1. Quod hic innuitur, per aquam prioris fluvii, id est sacramentorum mortuorum, tolli peccatorum memoriam, intelligendum est tanquam poetice dictum, cum peccata per baptismum et poenitentiam vere auferantur. At dicitur eorum memoria tolli, quia ita delentur quoad culpam, quasi nunquam fuerint, quamvis homo eorum possit recordari, et, quoad effectus aliquos, peccata adhuc perdurare queant.

ficans (LXII), et secundarius, qui est character (LXIII). Denique, in consideratione causae efficientis, inquiri debet quaenam pars, in sacramentorum institutione vel ministratione, debeatur Deo, Christo et homini puro (LXIV).



Igitur sex quaeruntur in hoc tractatu.

Primo. Quid sit sacramentum (Apud S. Thom., 3, Quaest. LX).

Secundo. De necessitate sacramentorum (LXI).

Tertio. De principali effectu sacramentorum qui est gratia (LXII).

Quarto. De effectu sacramentorum quí est character (LXIII).

Quinto. De causa sacramentorum (LIV).

Sexto. De numero sacramentorum (LXV).

9. — Dubium circa quaestionem de subiecto sacramentorum. — Circa ordinatissimam hanc partitionem, advertere iuvat, causam materialem sacramentorum, quae in prima quaestione consideratur, esse causam materialem *ex qua* sacramenta conficiuntur; praeter quam distinguenda est causa materialis *in qua*, quae est subiectum sacramenti susceptivum. Et haec quidem dubio procul est anima rationalis in statu unionis, cum sacramenta sint propter homines viatores: et quidem, si agatur de principali effectu sacramentorum, qui est gratia, causa ista materialis est ipsa essentia animae; si vero agatur de effectu secundario, qui est character, est intellectus [1]. Attamen dispositiones quaedam in subiecto requiruntur, quae quidem dispositiones et ad causam materialem et ad causam efficientem, diverso licet sub respectu, pertinent. Nimirum, pertinent quidem ad causam materialem, secundum quod requiruntur in subiecto, ut idoneum fiat ad sacramentum suscipiendum; pertinent vero ad causam efficientem, secundum quod ab ipsomet subiecto istae dispositiones eliciuntur. Igitur si primo modo considerentur, de eis agetur ubi de singulis sacramentis tractabitur; sub altero autem respectu, de eisdem agetur in Appendice ad quaestionem LXIV, in qua quaestione de causa efficiente ex professo tractabitur, et ubi opportuna introducetur distinctio, scitu necessaria, inter sacramenta vivorum et sacramenta mortuorum.

1. Quaest. LXIII, art. 4.

QUAESTIO PRIMA

(LX)

QUID SIT SACRAMENTUM

Prologus.

1. — Existentia sacramentorum. — Acturo de sacramentis prima subit consideratio, an revera sacramenta existant: quam tamen quaestionem hic a S. Thoma praetermissam videmus. Huius autem omissionis ratio est, quia nulla scientia probat suum obiectum, sed illud supponit. Quod quidem merito hic observatur, quia ex Incarnationis tractatu resultat, Verbum, hominem factum, nos per suam passionem a peccato redemisse, et quidem per modum efficientiae cuiusdam, quae quidem efficientia potissime per signa sensibilia explicatur, quae sacramenta dicimus, per quae nobis meritum passionis illius applicatur. *Passio Christi*, ait Angelicus [1], *licet sit corporalis, habet tamen spiritualem virtutem ex divinitate unita, et ideo per spiritualem contactum efficaciam sortitur, scilicet per fidem et fidei sacramentum, secundum illud* [2]: Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. — Haec quidem dicta sint pro eo quod spectat ad sacramenta in communi: nam singulis sacramentis suo loco vindicabitur existentia.

2. — Ratio huius quaestionis. — Quae cum ita sint, praesentis quaestionis intentio est propriam exhibere sacramenti rationem, quatenus scilicet Sacramentum est

1. 3, Quaest. XLVIII, art. 6. — 2. Rom., III, 25.

symbolum rei sacrae, et invisibilis gratiae forma visibilis, ut ait Concilium tridentinum [1]: quod quidem obtinebitur illius tradendo definitionem ex genere proximo et ultima differentia, necnon principia sacramentum intrinsece constituentia.

At ut omnis praecaveatur aequivocatio, lectorem statim monitum facimus, in definiendo sacramentum, S. Thomam respectum simul habuisse ad sacramenta novae et veteris Legis, quatenus tum illa, tum ista univoce participant rationem sacramenti: licet in decursu disputationis aliquid amplius dici debebit de sacramentis novae Legis quam de sacramentis veteris Legis. Illa nimirum, tanquam symbola futurae rei sacrae, id est passionis Christi, significabant gratiam physice conferendam per sacramenta novae Legis, cum non essent instrumenta gratiae, sed tantummodo Deum moverent ad conferendam gratiam intuitu futurorum meritorum Iesu Christi; haec vero gratiam instrumentaliter actu conferant quam significant.

Et haec quidem distinctio erit sedulo prae mente tenenda, ut sciatur in quonam conveniant, et in quonam discrepent novae et veteris Legis sacramenta.

3. — **Ordo quaestionis.** — Porro, in hac quaestione ita erit procedendum, ut primo agatur de quidditate sacramenti in seipsa considerata (1-3), et secundo de principiis eiusdem constitutivis (4-8). Ut autem rei alicuius quidditas probe cognoscatur, inspicienda est tum in se absolute (1-2), et quidem secundum rationem genericam (1), necnon secundum rationem differentialem (2), tum relate ad primam entis passionem, quae est unitas (3). — Principia autem constitutiva sacramenti sunt res (4-5) et verba (6-8); unde inquirendum erit tum de rebus quae ad sacramenta requiruntur, primo generaliter (4), et secundo specialiter et determinate (5); tum de verbis, et

1. Sess. XIII, cap. 3. Cf. supra, Prooem., n. 5.

quidem primo per se (6-7), sive generaliter (6), sive specialiter et determinate (7), et secundo per accidens, id est quatenus mutari non debeant (8).



Hinc octo in hac quaestione investiganda proponuntur.

Primo. Utrum sacramentum sit in genere signi.

Secundo. Utrum omne signum rei sacrae sit sacramentum.

Tertio. Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum vel plurium.

Quarto. Utrum sacramentum sit signum quod est res sensibilis.

Quinto. Utrum ad sacramentum requiratur determinata res sensibilis.

Sexto. Utrum ad sacramenta requiratur significatio quae est per verba.

Septimo. Utrum requirantur determinata verba.

Octavo. Utrum illis verbis possit aliquid addi vel subtrahi.

ARTICULUS I. — *Utrum sacramentum sit in genere signi.*

1. — Analogia nominum. — Cum plura habent ordinem ad unum aliquid, licet diversimode, ab illo solent denominari; sicut a sanitate quae est in animali denominatur sanum non solum animal quod est subiectum sanitatis, sed etiam medicina quae dicitur sana, in quantum est sanitatis effectiva; cibus quoque sanus dicitur, in quantum est conservativus sanitatis, pulsus etiam vel color, in quantum est significativus eiusdem. Et haec quidem ratio praedicandi vocatur analogia; unde analoga dicuntur quorum nomen est idem et ratio significata per nomen est partim eadem et partim diversa. Quapropter distinguuntur analoga tum ab univocis tum ab equivocis; quia in illis quidem nomen est idem et ratio significata per nomen omnino eadem, ut homo; in his vero nomen idem est, sed ratio significata per nomen omnino diversa, ut canis dictus de animali et de sidere [1]. — Ex his aperta via est ad statuendas varias significationes nominis sacramentum, ut sensus accurate definiatur, quo impraesentiarum nomen hoc accipitur.

2. — Variae significationes nominis sacramentum. — Porro sacramentum dici potest aliquid, quod habet in se sanctitatem occultam, quo sensu sacramentum idem est quod sacrum secretum, et a graecis μυστήριον vocitatur, quatenus significat rem arcanam et absconsam, unde homines dicuntur sacramentis, quod est mysteriis, initiari. Hoc modo nomen sacramentum pluries in Scripturis accipitur; puta, ad significandum Dei secretum, iuxta illud [2]: *Ut notum faceret nobis sacramentum volun-*

1. Cf. Tract. de DE UNO, Quaest. XII, art. 5, pp. 503, seqq. — 2. Ephes., I, 9.

tatis suae; rursusque [1]: *Illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo qui omnia creavit;* pariter [2]: *Magnum est pietatis sacramentum;* et iterum [3]: *Nescierunt sacramenta Dei.* Regis quoque secreta sacramenta dicta sunt, iuxta illud [4]: *Sacramentum regis abscondere bonum est.* — Huiusmodi autem secreta dicuntur esse sacra et sacramenta, quia secundum antiquos, sancta vel sacrosancta dicebantur quaecumque violari non licebat, sicut etiam muri civitatis et personae in dignitatibus constitutae; et ideo illa secreta, sive divina sive humana, quae non licet violari quibuslibet ea publicando, dicuntur sacra vel sacramenta [5]. — Per extensionem vero res aliqua secreta et ab hominum cognitione remota, etiam mala, sacramentum dicta est, ut legitur in Apocalypsi [6]: *Dicam tibi sacramentum mulieris.*

Huic significationi affinis est illa secundum quam pecunia vel pignus, quod olim a litigantibus deponi solebat in loco sacro, et peribat illi qui causa cadebat, ut testatur Varro, sacramentum vocari consuevit, quod proinde significat quamdam velut oppignorationem iudicialem.

Praeterea, sacramentum dici potest quod habet ordinem causae ad sanctitatem producendam: quo sensu aliquando passio Domini Nostri et caeterae eius actiones, quibus gratiam et vitam aeternam nobis promeruit, sacramenta dicta sunt; unde aliquando passio Christi vocata est sacramentum reconciliationis humanae.

Ulterius sacramentum dictum est quod habet ordinem ad sanctitatem per modum relationis cuiusdam, quo sensu iuramentum dictum est sacramentum, tum quia instar rei sacrae debet inviolabiliter servari, tum quia est contestatio facta per aliquid sacrum. Quapropter legitur [7]:

1. Ibid., III, 9. — 2. 1 Tim., III, 16. — 3. Sap., II, 22. — 4. Tob., XII, 7. — 5. Ad 2m. — 6. C. XVII, 7. — 7. In Concilio Ilerdensi, (*Lerida*) in Hispania Tarraconensi, a. D. 524 celebr., Can. 7. Mansi, t. VIII, col. 613.

Qui sacramento (id est iuramento) *se obligaverit,... ad pacem nullo modo redeat pro periurio* [1]. Huic significationi proxime illa accedit, qua iusiurandum, quo se milites fidelem operam reipublicae praestituros pollicentur, sacramentum militare dictum est; unde hoc sensu sacramentum significat obligationem qua iurati aliqu officii vinculo obstringuntur [2].

Porro, his significationibus nominis sacramenti sepositis, accedimus ad significationem quae propria est huius tractatus.

3. — PROP. — **Sacramentum, prout hic sumitur, importat habitudinem signi, et secundum hoc ponitur in genere signi.**

Ad huius propositionis intelligentiam, primo necesse est statuere quid sit signum, et quotuplicis generis signum distinguitur.

4. — **Quid et quotuplex sit signum.** — Celebris est definitio signi a S. Augustino tradita [3]: *Signum est res praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire,* sicut ex vestigio, quod terrae impressum intuemur, transisse aliquem cuius vestigium apparet, cognoscimus. Signorum autem alia sunt *naturalia,* ut flores relate ad messem, nubes ad aquam, fumus ad ignem, etc.; alia autem *arbitraria,* seu ad placitum, cuiusmodi sunt vocabula rerum, scriptura, vexilla, imagines, et alia huiusmodi; in quibus omnibus sedulo distinguenda est res ipsa a ratione signi, seu materiale a formali, quod consistit in significando [4]. Ulterius, signum potest esse vel *symbolicum* vel *purum,* secundum quod cum re significata quamdam congruentiam praesefert, necne.

1. Ad 3m. — 2. Cf. Tullius, l. I Offic. — 3. L. II de Doctr. Christ., c. I. Paris, 1680, t. III, p. 19. — 4. Cf. Cat. Rom., P. II, c. I, n. 5.

5. — Prop. prob. — Ex Dei ipsius institutione, sacramentum ordinatur ad manifestandam nobis latentem divinae virtutis operationem in anima nostra, ita ut quaedam sit convenientia inter signum huiusmodi et rem signatam, quam sensu apprehendere non possumus. Ergo de ratione sacramenti est ut sit signum, et quidem signum symbolicum; seu, ut ait S. Bonaventura [1], *essentialiter loquendo, sacramentum est signum,* quo sensu aiebat S. Augustinus [2]: *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum est.* Advertendum tamen hic est, S. Augustinum latius sumere nomen sacramentum, cum sacrificium stricte sacramentum non sit, ut ostendetur articulo sequenti, eo quod non est signum rei sacrae, in quantum est sanctificans homines.

6. — Nomen sacramentum in Scriptura sacra. — Porro, quod hoc modo nomen, sacramentum, hoc sensu interdum usurpetur in Scriptura sacra, patet ex S. Paulo ad Ephesios [3], ubi vocat coniunctionem viri et mulieris *magnum sacramentum,* scilicet quia signum est coniunctionis Christi cum Ecclesia; et apud Danielem [4] somnium de statua Nabuchodonosor dicitur *mysterium* seu *sacramentum,* maxime propter significationem, ut observat Durandus [5]; ex quo constat, nonnisi per ignorantiam aut calumniam Novatores dixisse nomen sacramentum in Scripturis nunquam significare signum rei sacrae, sed solum rem sacram abditam.

7. — Verba Catechismi Romani. — Praestet autem hac super re verba adferre Catechismi Romani [6]: *Sed ex Scripturis etiam aperte colligitur, sacramentum inter*

1. 4, Dist. I, art. unic. Quaest. Ad Claras Aquas, 1889, t. IV, p. 14. — 2. L. X de Civ. Dei, c. 5, t. VII, p. 241. — 3. V, 32. — 4. C. II, 27. — 5. In 4, Dist. I, Quaest. I. — 6. Pars II, c. I, n. 7.

signa numerandum esse. Apostolus enim de circumcisione, Veteris Legis sacramento, quae Abraham patri omnium credentium data erat [1], *ita ad Romanos scribit* : ET SIGNUM ACCEPIT CIRCUMCISIONIS, SIGNACULUM IUSTITIAE FIDEI. *Et alio loco* [3], *cum affirmat nos omnes,* QUI BAPTIZATI SUMUS IN CHRISTO IESU, IN MORTE IPSIUS BAPTIZATOS ESSE, *licet cognoscere baptismum huius rei significationem habere, nimirum, ut ait idem Apostolus:* NOS CONSEPULTOS ESSE CUM ILLO PER BAPTISMUM IN MORTEM. *Neque vero parum proderit, si fidelis populus sacramenta ad signa pertinere intellexerit: ita enim fiet, ut quae illis significantur, continentur, atque efficiuntur, sancta et augusta esse, facilius sibi persuadeat; cognitaque eorum sanctitate, ad divinam erga nos beneficentiam colendam ac venerandam magis excitetur.*

8. — **Nomen sacramentum in traditione.** — Quod autem ad traditionem pertinet, notandum est erronee a quibusdam putari *hoc vocabulum nuper in Ecclesiam inductum fuisse: nam qui sanctos Hieronymum* [4] *et Augustinum* [5] *legerit, facile perspiciet antiquos religionis nostrae scriptores ad eam de qua loquimur rem demonstrandam, saepissime sacramenti nomine, interdum vero etiam symboli, vel mystici signi vel sacri signi voce, usos esse* [6].

9. — **Sanctitas, a qua denominatur sacramentum, non significatur per modum causae efficientis.** — Hic autem sedulo advertendum est, cum S. Thoma [7], sacramentum, proprie loquendo, prout scilicet hoc nomen

1. Gen., XVII, 10, 11, 12. - 2. Rom., IV, 11. — 3. Ibid, VI, 3, 4. — 4. In Comment. in Thren. — 5. L. XIX Contra Faust., c. XI, t. VIII, p. 319 et tract. LXXX in Io. t. III. par. II, p. 703. — 6. Cat. Rom., loco cit., n. 3. Cf. Tertull., de Praescr. et l. 1 adv. Marcion.; Cyprian., ep. LXXIV, Oxonii 1700. pp. 317, 319; et in l. de Bapt. Christi, ibid. Append. p. 66; inter S. Cypriani opera. — 7. Hic, ad 1m.

aeque competit sacramentis veteris et novae Legis, non debere poni in genere causae efficientis, cum illa sacramenta non causarent physice, seu instrumentaliter gratiam, sed tantummodo significarent sanctitatem Christi qua sanctificati sumus [1]: unde nomen hoc *signum,* prout tenet locum generis in definitione sacramenti, abstrahit ab hoc quod sit causa physica, necne, gratiae quam significat: nec propterea dicendum est nomen istud supponere pro signo *practico* gratiae, cum hoc sit proprium sacramentorum novae Legis, in oppositione ad sacramenta veteris Legis.

Ad quod intelligendum, iubet nos S. Thomas advertere, alio modo denominari sacramentum a sanctitate, et alio modo medicinam a sanitate: nam sanctitas, a qua denominatur sacramentum, non significatur per modum causae efficientis, sed magis per modum causae formalis vel finalis; medicina vero se habet ut causam effectivam sanitatis, et proinde omnia denominata a medicina, ut medicamenta quaeque, important habitudinem causae efficientis.

Igitur sacramenta veteris Legis gratiam instrumentaliter non producebant, et tamen erant vera sacramenta: sacramenta vero novae Legis producunt, physice, gratiam scilicet quam significant, quin tamen necesse sit ut illam semper producant, cum aliquando ob obicem suo effectu frustrentur: ex quo iam patet tum distinctio inter *sacramentum* formaliter sumptum et *rem sacramenti,* quae est gratia, tum possibilitas habendi sacramentum novae Legis, puta baptismum, sine re sacramenti, ut ostendetur cum de sacramento ficte suscepto necnon de reviviscentia sacramentorum sermo recurret.

10. — Solvitur tacita difficultas. — Nec obstat quod baptismus, verbi gratia, videtur esse in genere actionis,

1. Art. 2, ad 2m.

unde non est in genere signi demonstrativi; — nam licet revera ablutio, qua talis, sit in genere actionis, tamen qua ordinatur ad significandam gratiam, et sic formaliter qua sacramentum, est in genere signi.

Instanti quod sacramentum baptismi nihil significat parvulo, ergo nequit poni in genere signi; *respondetur* comparationem signi ad rem signatam sumi absolute, idest in quantum signum huiusmodi natum est ducere in cognitionem rei signatae, sive ille qui sacramentum suscipit hanc comparationem cognoscere valeat, sive non [1].

11. — **Corollarium.** — Ex hac doctrina sequitur quod, etsi Deus potuerit elevare quamcumque rem creatam, puta lapidem, ut per ipsam, tanquam per instrumentum, gratiam produceret in anima, cum divina potentia nullo ordine rerum creatarum coarctetur, tamen talis res sacramentum dici haudquaquam poterit, si in ipsa defecerit ratio signi sanctificativi seu symbolici, quae quidem ratio non potest salvari nisi in certis determinatisque rebus.

ARTICULUS II. — *Utrum omne signum rei sacrae sit sacramentum.*

1. — **Ratio articuli.** — Cum omnis definitio constet, tanquam ex propriis elementis, ex genere et differentia, habita iam generica notione sacramenti in eo quod est signum rei sacrae, sequitur modo ut illius amplitudo coarctetur, assignata ultima ratione distinctiva sacramenti.

2. — PROP. — **Sacramentum est signum rei sacrae, in quantum haec res sacra est sanctificans homines.**

1. Cf. Franc. Sylvius, in h. l.

3. — Ostenditur. — Signa proprie dantur hominibus, quorum est per nota ad ignota pervenire. Quapropter proprie dicitur sacramentum id quod est signum alicuius rei sacrae ad homines pertinentis; ut scilicet proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacrae, in quantum huiusmodi res sacra est sanctificans homines. Quid autem sit huiusmodi res sacra, dicetur in proximo articulo, ubi determinabitur eam esse passionem Christi, gratiam sanctificantem et gloriam paradisi.

4. — Sacrificium deficit a propria ratione sacramenti. — Hoc igitur habito criterio, facile erit plura excludere a propria ratione sacramenti, quae tamen signa sunt rei sacrae, non autem eo modo quo dictum est.

Et primo quidem *sacrificium*, formaliter ut sic, excludi debet a propria ratione sacramenti, quia non est signum rei sacrae ut formaliter sacrantis aut sanctificantis homines: refertur enim sacrificium immediate ad cultum Deo tribuendum, et consistit in aliqua mutatione circa rem oblatam; sacramentum vero immediate refertur ad ipsos cultores, quorum sanctificationem significat; unde sequitur quod illud prodest etiam non participantibus, hoc vero solum suscipientibus: quapropter latius sumitur sacramentum in hoc quod S. Augustinus ait etiam sacrificium trucidati pecoris esse sacramentum. Possunt tamen rationes utriusque in eamdem rem convenire, sicut in Eucharistiam et in huius perfectiorem figuram, quae fuit agnus paschalis, qui non solum offerebatur Deo, sed insuper significabat liberationem nostram a captivitate diaboli et gratiam per Christum conferendam [1].

5. — Creaturae sensibiles non possunt dici sacramenta. — Pariter creaturae sensibiles, licet sint signa

1. Ad 2m. C. Franc. Sylvius, in h. l. Quaeritur II.

rerum sacrarum, secundum illud [1]: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur,* tamen non possunt dici sacramenta secundum quod nunc loquimur de sacramentis, quia significant aliquid sacrum, scilicet sapientiam et bonitatem divinam et caetera attributa Dei, non quidem in quantum nos per ea sanctificamur, sed in quantum sunt in seipsis sacra [2].

6. — **Consecratio altaris vel templi et aspersio aquae benedictae non sunt proprie sacramenta.** — Similiter consecratio altaris aut templi nequit dici proprie sacramentum, quia non est signum rei sacrae in quantum per eam homines sanctificantur, sed est quaedam deputatio illarum rerum ad sacra; unde non est instituta ad significandam rem qua homines sanctificantur, sed tantum rei deputationem ad sacrum servitium. Quocirca, in eo quod dicitur [3]: *Locus iste a Deo factus est inaestimabile sacramentum*, hoc nomen latiori significatione accipitur. Idipsum dicatur de aspersione aquae benedictae, quum non significet perfectionem sanctitatis humanae, sed solum dispositionem ad eamdem: res autem denominantur a fine et complemento, dispositio vero non est finis neque perfectio [4]. Revera, aquae benedictae aspersio potius ordinatur ad excitandam contritionem in ordine ad deletionem maculae peccati venialis in anima, ad quod etiam gratiae infusio non requiritur.

7. — **Quaestio.** — *Utrum omnia gesta Patrum veteris Testamenti vel omnes caeremoniae veteris Legis fuerint sacramenta?*

Resp. Negative, sed tantummodo quaedam specialiter [5]. Et quidem verum est quod omnia quae in veteri Lege

1. Rom., I, 20. — 2. Ad 1m. — 3. In anniv. Dedic. Eccles., Grad. Missae. — 4. Ad 3m. — 5. De his agit ex professo S. Thomas in 1 2ae, Quaest. CI, art. 4.

fiebant, Christum figurabant, qui est Sanctus Sanctorum, secundum illud [1]: *Omnia in figura contingebant illis*, et rursus [2]: *Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* At quaedam significabant sanctitatem Christi secundum quod in se sanctus est, et haec sacramenta non fuerunt; quaedam vero significabant eius sanctitatem in quantum per ea nos sanctificamur, sicut immolatio agni paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus, et talia dicuntur proprie veteris Legis sacramenta [3].

8. — **Scholion.** — Ex dictis liquet quo pacto veteris Legis sacramenta vera sacramenta extiterint: nempe in quantum fuerunt signa rei sacrae ut sanctificantis homines, quod est in quantum signa fuerunt beatissimae passionis Domini nostri, ex qua omnis nobis sanctificatio provenit. Et quidem signum huiusmodi in veteri Lege gratiam instrumentaliter non causabat; sed tantummodo Deum movebat, et quidem ex opere operato, ad gratiam hominibus dandam; in nova autem Lege signum huiusmodi causat gratiam in actu exercito.

9. — **Definitio sacramenti.** — Ex iis quae hucusque disserta sunt, sequens colligi potest definitio sacramenti: *Sacramentum est signum sensibile rei sacrae, divinitus institutum, in quantum res illa sacra est sanctificans homines;* et haec quidem definitio aeque convenit sacramentis novae Legis et veteris Legis. Quia autem novae Legis sacramentum, ut infra tradetur, illud efficit quod significat, ideo Catechismus Romanus illud definit [4]: *Rem sensibus subiectam, quae, ex Dei institutione, sanctitatis et iustitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet.* Congruit et alia definitio ex Concilio Tridentino

1. 1 Cor., X, 11. — 2. Col., II, 17. — 3. Ad 2m. — 4. Loco cit., n. 11. Cf. supra, Prooem., n. 5.

collecta: *Sacramentum novae Legis est invisibilis gratiae forma visibilis, ex Dei institutione sanctificandi vim habens* [1]; ubi *forma* pro figura seu signo accipitur; dicitur autem *visibilis*, quia, ut advertit Angelicus [2], nomen visus, utpote qui sensus nobilior est, ad omnes alios sensus extenditur: unde *visibilis* hic ponitur pro *sensibili* [3].

10. — Corollarium. — Ex his sequitur, ad rationem sacramenti primo requiri ut signum illud sit institutum tanquam ad religionis cultum pertinens: nimirum, sacramentum debet esse sacrum, non solum ex parte significationis, sed etiam ex parte rei significantis, quia, ut ait S. Augustinus [4], sacramenta ideo sunt *ut homines per ea conveniant in unum nomen religionis;* secundo, requiritur praeterea ut signum illud sit institutum ad significationem gratiae praesentis aut futurae.

Defectu primi excluduntur a ratione sacramentorum plura tum in veteri, tum in nova Lege posita, ut, verbi gratia, transitus maris rubri, manna in deserto, serpens aeneus, fluxus aquae de petra, missio columbae vel ignitarum linguarum et his similia. Defectu secundi, sacramenta non sunt, verbi gratia, prima tonsura, manus impositio super catechumenos, imagines, professio religiosorum; quia quamvis ad religionem istae res pertineant, tamen a Deo non sunt institutae ad significandam gratiam.

1. Cf. supra, art. 1, n. 2. — 2. 4, Dist. I, Quaest. I, art. 1. Quaestiunc. 3, ad 1m. — 3. Cf. S. Augustin., l. X, Confess., c. 35. — 4. C. XIX Contra Faust., cap. 11.

ARTICULUS III. — *Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum.*

1. — Quomodo res una possit simul multa significare. — Ad praecavendam difficultatem quae statim oriri posset ex eo quod videretur adesse fallendi occasio quando per unum multa significantur, tale enim est signum ambiguum, prius advertendum est, tunc haberi signum ambiguum praebens occasionem fallendi, quando significat multa quorum unum non ordinatur ad aliud; sed quando signum illud significat multa secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum, sed certum, sicut hoc nomen, *homo,* significat animam et corpus prout ex eis constituitur humana natura. Quapropter, cum mox dicemus sacramentum plura significare, hoc intelligendum erit, secundum quod ista plura quodam ordine sunt unum; ideoque non incurretur fallaciae periculum, quod removendum esse docet Apostolus his verbis [1]: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam* [2].

2. — PROP. — Sacramentum non est signum unius rei tantum.

Imprimis suadetur haec propositio per hoc quod in sacramento altaris est duplex res significata, scilicet corpus Christi verum et corpus Christi mysticum, ut ait S. Augustinus [3]. Ergo sacramentum non est signum unius rei tantum.

3. — Probatur. — Illud quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem, non est signum unius rei tantum. Atqui sacramentum, prout hic proprie dicitur,

1. Coloss., II, 8. — 2. Ad 1[m]. — 3. L. Sent. Prosperi. Hab. cap. *hoc est,* de Consecrat., Dist. 2.

ordinatur ad significandam nostram sanctificationem. Ergo sacramentum non est signum unius rei tantum.

Maior sola indiget probatione; nam *minor* fluit ex ipsa sacramenti definitione. — In sanctificatione nostra tria considerari possunt: nempe, causa santificationis nostrae, quae est passio Christi; forma eiusdem quae consistit in gratia et virtutibus, et ultimus finis nostrae sanctificationis, qui est vita aeterna. Illud ergo quod est signum sanctificationis nostrae, non est signum unius rei tantum, sed trium, scilicet passionis Christi, quae est illius causa; gratiae, quae est eius forma, et gloriae, quae sit finis sanctificationis nostrae.

4. — Corollarium. — Ex his patet, sacramentum esse simul signum *rememorativum, demonstrativum* et *praenuntiativum,* seu prognosticum. Et quidem, signum est rememorativum illius quod praecessit, scilicet passionis Christi; demonstrativum illius quod in nobis efficitur, scilicet gratiae, et praenuntiativum futurae gloriae: quo sensu de Sanctissima Eucharistia praedicatur quod in ea *recolitur memoria passionis* (Christi), *mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur;* quod et de aliis sacramentis proportionaliter dici potest, utpote quae gratiam conferunt quam significant: quae gratia datur merito passionis Christi, simulque gloriae semen existit. Quapropter significatio sacramenti est simul allegorica respectu passionis Christi, historica respectu gratiae et anagogica respectu gloriae: ad quae commode referri potest illud Canonis Missae: *Haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia.*

5. — Quomodo tria haec in baptismo inveniantur. — Ex auctoritate Scripturae liquido constat haec tria in baptismo reperiri. Primo scilicet Apostolus monet[1]: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte*

1. Rom., VI, 3.

ipsius baptizati sumus; quo ostenditur, idcirco baptismum dicendum esse signum, quia dominicae passionis et mortis nos admonet. Addit autem: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus;* quibus verbis constat baptismum signum esse, quo caelestis gratia in nos infusa declaratur, qua novam vitam instituere possimus. Demum ait [1]: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis suis, simul et resurrectionis erimus;* quo apparet, baptismum vitam quoque aeternam, quam per illum consecuturi sumus, significare [2].

6. — **Horum trium uberior explicatio.** — Cum sacramentum significet rem sacram in quantum est humanae sanctificationis causa, causa autem formalis nostrae sanctificationis sit gratia, hinc oportet ut hic effectus sit per sacramentum significatus. Una autem est causa humanae sanctificationis, scilicet Sanguis Christi, iuxta illud [3]: *Iesus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est;* unde necesse est ut passio Christi per sacramenta significetur. Demum, cum finis sanctificationis nostrae sit vita aeterna, iuxta illud [4]: *Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam aeternam,* hinc sacramentum significat etiam perfectionem quae est finis vitae aeternae [5].

Notandum autem est quod quia sacramenta veteris Legis sanctificationem non faciebant, ideo erant tantum signa prognostica [6]; in nostris autem sacramentis significatio gratiae est principalis, non quasi gratia sit excellentior gloria, sed quia significatio gratiae principalius pertinet ad rationem sacramenti, cum per gratiam formaliter sanctificemur.

1. Ibid., 5. — 2. Cat. Roman., loc. cit., n. 12. — 3. Hebr., XIII, 12. — 4. Rom., VI, 22. — 5. Ad 2[m] et 2[m]. — 6. Cf. 4, Dist. I, Quaest. I, art. 1, ad 4[m].

Articulus IV. — *Utrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.*

1. — Signum, in quo ratio sacramenti consistit, est ens reale simpliciter. — Ex tradita hucusque definitione sacramenti, resultat quod, licet formale sacramenti, ipsa nempe significatio ad placitum, non sit ens reale, utpote relatio non sequens fundamentum ex natura rei sed ex actu instituentis, ipsum tamen signum in quo sacramenti ratio consistit, ens est reale simpliciter: supponit enim huiusmodi signum pro fundamento seu pro materiali, id est, pro eo cui convenit illa significatio [1]. — Quae cum ita sint, postulat ordinata methodus, ut modo analysi subiiciatur istud physicum sacramenti elementum, ut sciatur quibusnam rebus constituatur. Porro, cum materia et forma partes sint essentiales cuiuslibet materialis compositi atque illius naturam intrinsece constituant, hinc pronum est ut inquiramus, generica quadam ratione, de materia et forma sacramentorum, in quas, *sicut in partes essentiae*, sacramentum distinguitur, ut ait S. Thomas [2].

2. — Doctrina de materia et forma sacramentorum. — Porro, quae hic et sequentibus articulis dicentur de rebus sensibilibus et verbis quibus conficiuntur sacramenta, ad catholicam doctrinam de materia et forma sacramentorum pertinent, quae doctrina formaliter sancita invenitur in Conciliis Florentino et Tridentino: nam in illo quidem legitur [3]: *Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur: videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri;* hoc vero, loquens de differentia inter baptismum et poenitentiam, ait [4]: *Materia et forma, quibus sacramenti essentia perfi-*

1. Franc. Sylv. hic, in art. 2, 4°. — 2. 3, Quaest. XC, art. 2. — 3. Decret. pro Armenis. D.-B., n. 695. — 4. Sess. XIV, c. 2.

citur, *longissime dissidet*, scilicet in duobus praedictis sacramentis.

Sciendum autem, etsi nomina haec, materia et forma, ubi de sacramentorum elementis est sermo, ante saeculum decimum secundum vix usurpata inveniuntur, opportunissime tamen introducta fuisse ad designanda, hinc quidem rem illam sensibilem, quae ex sui natura indiget determinari ad officium significandi rem illam sacram in quantum est sanctificans homines, illinc vero principium illud formale unde ista determinatio habetur. Quocirca, sicut in omnibus rebus huius universi visibilis distinguere est materiam, quae est principium commune et indeterminatum, et formam, quae est principium determinans et specificans, ita etiam in sacramentis hoc ipsum per analogiam invenitur: unde doctrina de hylemorphismo [1] ad ordinem quoque supernaturalem, ubi de mediis a Christo institutis ad nostram sanctificationem agitur, merito potest applicari.

3. — **Ratio huius articuli.** — Igitur, incipiendo ab elemento materiali sacramentorum, primo loco quaeritur utrum in omni sacramento esse debeat res aliqua sensibilis, id est vel substantia aliqua materialis, puta, aqua, oleum, etc., vel actus aliquis sensibilis, ut confessio et contritio exterius manifestata, etc., et quidem ex ipsius Christi Domini institutione.

Quaestio igitur hic proposita est, utrum sacramentum semper esse debeat res aliqua sensibilis, an possit interdum esse res aliqua spiritualis vel intelligibilis. Et utique, si de potentia Dei absoluta ageretur, dici deberet potuisse a Deo institui rem aliquam spiritualem, ad cuius praesentiam gratia data fuisset; at non Dei potentiam absolutam hic consideramus, sed ordinem ab ipsomet mundi Conditore actu institutum.

1. Ab ὕλη materia, μορφή forma.

Notandum autem est, quaestionem hic proprie proponi de rebus, non autem de verbis; quia licet verba revera sint de numero rerum sensibilium, sensibile enim dicitur quidquid sensui subiacet, de eis tamen, secundum quod formae rationem induunt, ex professo agetur articulis sexto et sequentibus. Sub rebus autem sensibilibus comprehenduntur etiam actus quidam sensibiles, qui possunt esse etiam verba aut signa internam animi dispositionem exprimentia: sicut in poenitentia, in qua actus poenitentis, confessio, contritio et satisfactio sunt huius sacramenti materia. — Porro, in praesenti articulo quaeremus de rebus in genere, in sequenti vero de determinatione istarum rerum.

4. — PROP. — **Ad sacramenta requiruntur res sensibiles.**

5. — **Prob. ex auctoritate.** — Imprimis, ex *Sacra Scriptura* clare apparet, pro quibusdam sacramentis, puta baptismo et extrema unctione, res quasdam sensibiles requiri. Sic, quantum ad primum, legimus [1]: *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae;* quantum ad alterum vero [2]: *Orent super eum, ungentes eum oleum in nomine Domini.*

Idipsum autem constat ex *traditionis* voce. Sic apud Tertullianum legimus [3]: *Sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu, homo in aqua demissus et inter pauca verba tinctus,* aeternitatem consequitur; et rursus [4]: *Omnes aquae... sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo.* Pariter S. Cyrillus Hierosolymitanus scribit [5]: *Sicut panis Eucha-*

1. Eph., V, 25, 26. — 2. Iac. V, 14. — 3. De Bapt., c. 2. — 4. Ibid., c. 4. — 5. Catech. XXI, Mystag. 3, n. 3. Ὥσπερ γὰρ ὁ ἄρτος τῆς Εὐχαριστίας, μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, οὐκ ἔτι

stiae, post invocationem Sancti Spiritus, non est panis communis, sed corpus Christi; sic et hoc sacrum unguentum (videlicet chrisma), *post invocationem, non amplius simplex, aut, si dicere mavis, commune est, sed est Christi et Spiritus Sancti donarium.*

At praecipue attendendum est ad auctoritatem S. Augustini, qui Ecclesiae traditionem resonans, dum loquitur de elemento sensibili, quod in ordine ad baptismum est aqua, ait [1]: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum.* Ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta [2].

6. — **Ratio theol.** — Homini connaturale est ut per sensibilia manuducatur in cognitionem rerum intelligibilium. Atqui res sacrae, quae per sacramenta significantur, sunt quaedam spiritualia et intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur. Ergo conveniens est ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur: quod sibivult signa, in quibus consistit ratio sacramenti, esse res sensibiles.

7. — **Exponitur.** — Vis huius argumenti in hoc consistit, quod cum signum sit id per quod aliquis devenit in cognitione alterius, naturale autem homini sit ut per sensibilia manuducatur in intelligibilia, hinc convenit ut sacramenta, quibus homo maxime in gratiam ducitur, res sensibiles sint. Revera, divina sapientia unicuique rei providet secundum modum suum, iuxta illud [3]: *Attingit*

ἄρτος λιτός, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ· οὕτω καὶ τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον, οὐκ ἔτι ψιλόν, οὐδ' ὡς ἂν εἴποι τις κοινὸν μετ' ἐπίκλησιν· ἀλλὰ Χριστοῦ κάρισμα καὶ Πνεύματος ἁγίου. Ven. 1763, p. 316, 317.

1. Tract. LXXX sup. Io., t. III, p. 703, n. 3. — 2. Cf. S. Io. Chrysost., Homil. LX ad populum; S. Io. Damasc., l. IV, de Fide Orthod. CC. 10 et 13. Venetiis 1748, t. I, p. 263 et 269; S. Gregor. Nazianz., Parisiis 1778, t. I, p. 695; S. Augustin., l. III de Doctr. Christ. C. IX, t. III, par. I, n. 13, p. 48. — 3. Sap., VIII. 1.

a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter; unde etiam dicitur de homine peregre proficiscente, quod dedit talenta *unicuique secundum propriam virtutem* [1].

8. — **Confirmatur.** — Cum omnis nostra cognitio a sensu initium ducat, hinc in ipsa Sacra Scriptura res spirituales nobis describi solent per similitudinem rerum sensibilium; unde etiam Dominus Noster utitur metaphoris et parabolis ad discipulos erudiendos [2]. Ergo ad sacramenta quoque requiruntur res sensibiles, ut etiam probatur in libro *de Caelesti Hierarchia* [3].

9. — **Uberius explicatur.** — Ad huius rei evidentiam, sciendum est quod cum omnes effectus sint signa suarum causarum [4], hinc etiam res spiritualis potest esse signum, sicut scientia est signum demonstrationis; unde non omne signum est sensibile, sed sunt etiam signa spiritualia. Attamen sola signa corporalia accedunt ad rationem sacramenti; quia effectus sensibilis per se habet quod ducat in cognitionem alterius, quasi primo et per se homini innotescens, cum omnis nostra cognitio a sensu oriatur; effectus autem intelligibiles non habent quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliud manifestati, id est per aliqua sensibilia. Atqui unumquodque praecipue denominatur et definitur secundum id quod convenit ei primo et per se, non autem secundum id quod convenit ei per aliud. Ergo primo et principaliter dicuntur signa quae sensibus offeruntur, secundum id quod S. Augustinus tradit, cum dicit [5] quod *signum est res, praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire.* Effectus

1. Matt., XXV, 15. — 2. Cf. Tr. DE DEO UNO, Quaest. I, art. 9, p. 91. — 3. C. I, — 4. L. II Priorum, cap. penult. et ult. — 5. L. II de Doctr. christ., c. I. Supra, art. 1, n. 4, p. 15.

autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa; quo modo etiam quaedam quae non sunt sensibilia dicuntur quodammodo sacramenta, ut character, in quantum sunt significata per aliqua sensibilia [1]. Similiter, verbum interius, nisi per aliqua exteriora manifestetur, non habet rationem signi, sed potius similitudinis.

1O. — Solvitur tacita obiectio. — Nec obstat quod res sensibiles non videntur pertinere ad regnum vel ad cultum Dei, cum scriptum sit [2]: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare,* et iterum [3]: *Non est regnum Dei esca et potus;* — nam res sensibiles, si utique in sua natura considerentur, non pertinent ad cultum vel ad regnum Dei; si autem considerentur ut signa spiritualium rerum in quibus regnum Dei consistit, sic ad cultum Dei pertinent et ad sacramenta [4].

Et hoc quidem sensu intelligendum quoque est id quod scribit S. Augustinus [5], cum dicit quod res sensibiles sunt minima bona, sine quibus homo recte vivere potest; nimirum hoc dicit, loquendo de rebus sensibilibus secundum quod sunt in sua natura, non autem secundum quod assumuntur ad significandum spiritualia quae sunt maxima bona; et hoc modo ad sacramenta pertinent; quae sunt de necessitate salutis humanae, sine quibus homo recte vivere non potest [6].

Concludendum igitur convenientissime factum fuisse, ut sensibilia quaedam signa Deus elevaret ad dignitatem sacramenti, quod aliunde congruit toti operi oeconomiae christianae, canente Ecclesia [7]:

1. Ad 1m. — 2. Io., IV, 24. — 3. Rom., XIV, 17. — 4. Ad 2m. — 5. L. II de lib. Arbitrio, cc. 18 et 19, t. I, p. 605 et 607, nn. 47-50. — 6. Ad 3m. — 7. In hymno *Pange lingua gloriosi.*

Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret;
Et medelam ferret inde
Hostis unde laeserat.

11. — Quaestio. — *Utrum dici possit sacramentum esse materiale vel corporale elementum?*

Resp. Dubitandi ratio ex eo desumitur, quod cum sacramentum sit in genere signi, signum vero, sicut formae artificiales, sit quid accidentale, non videtur de eo posse praedicari substantia, quae importatur in eo quod dicitur materiale elementum. — Attamen ita illud vocat Hugo a S. Victore [1], dum sacramentum definit [2]: *Sacramentum est corporale vel materiale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex institutione signans, ex similitudine repraesentans, et ex sanctificatione invisibilem gratiam continens.*

Ad huius rei evidentiam, sciendum est quod accidens, ut ait S. Thomas [3], si quidem significetur in abstracto, importat habitudinem ad subiectum, quae incipit ab accidente et terminatur ad subiectum; nam albedo dicitur qua aliquid est album; et ideo in definitione accidentis abstracti non ponitur subiectum, quasi prima pars definitionis, quae est genus, sed quasi secunda, quae est differentia: dicimus enim, quod simitas est curvitas nasi. Sed si significetur in concreto, habitudo incipit a subiecto et terminatur ad accidens, dicitur enim album, quod habet albedinem; propter quod in definitione accidentis in concreto

1. Insignis hic theologus, natus Ipreti (Ypres), in Flandria, anno 1098, adhuc iuvenis Parisios se contulit, ubi canonicus regularis apud S. Victorem factus, doctrina et bonitate vitae clarus obdormivit in Domino, a. D. 1142. Eius praecipuum opus est tractatus DE SACRAMENTIS, ad quem S. Thomas saepius alludit. — 2. L. I de Sacram., P. IX, c. 1. — 3. 1 2ae, Quaest. LIII, art. 2, ad 3m, ad litt.

ponitur subiectum tamquam genus, quod est prima pars definitionis; dicimus enim quod simum est nasus curvus. — Que cum ita sint, non poterit quidem dici quod significatio sacramentalis sit elementum materiale, sed signum, quod est sacramentum, est revera materiale elementum.

12. — Solvitur tacita difficultas. — *Obiicienti*, rationem significandi, quae importatur in hoc nomine, *signum*, esse opus intellectus, ideoque non posse de sacramento aliquid materiale praedicari, — *respondetur* advertendo cum eodem Angelico [1], quod rationes intellectae, seu, ut vocari solent, rationis ratiocinatae, habent duplicem firmitatem: scilicet, firmitatem sui esse, et hanc habent ab intellectu, sicut alia accidentia a suis subiectis; et firmitatem suae veritatis, et hanc habent ex re cui conformantur: ex eo enim quod res est vel non est, locutio et intellectus veritatem vel falsitatem habent; ideoque licet significatio, quae est opus intellectus, sit secunda intentio, tamen significatum habet fundamentum in re, independenter ab intellectu.

Et hoc quidem in omnibus artificialibus observare licet: sicut, verbi gratia, hoc ipsum quod voces institutae fuerint ut essent signa determinatorum conceptuum, opus est intellectus, sicut etiam opus intellectus est, ut sub hisce signis res signata deprehendatur; haec tamen propria significatio fixa inhaeret eisdem vocibus tanquam earumdem accidens, etiamsi voces illae, puta, in libro clauso contineantur et a nemine legantur.

1. 3, Dist. II, Quaest. I, art. 3, ad 5m.

Articulus V. — *Utrum requirantur determinatae res ad sacramenta.*

1. — Ratio articuli. — Statuto iam quod ad sacramenta res sensibiles requiruntur, subit modo disputandum utrum assignatio huiusmodi rerum pendeat a beneplacito hominum, an debeat esse de institutione divina. Ubi duae quaestiones distinctae clauduntur: altera, de necessitate institutionis divinae generatim acceptae; altera de modo quo ista institutio determinate fieri debuit, utrum scilicet in genere tantum, an etiam in specie infima. Porro hic prior tantum quaestio agitabitur; altera vero ad calcem articuli secundi quaestionis sexagesimae quartae amandabitur, ubi idipsum de verbis seu de forma sacramentorum quaeretur.

2. — PROP. — In sacramentis novae Legis oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

3. — Auctoritates. — Haec propositio ad fidem pertinet, dicente Domino Nostro [1]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum caelorum.* Ex quibus verbis patet, neminem posse introire in regnum Dei, nisi adhibito illo elemento a Christo instituto, quod est aqua.

Consonat et Concilium Tridentinum [2]: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni administratione sacramentorum adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, A. S.*

4. — Prob. rat. theol. — In ritibus quibus homines sanctificantur, oportet uti rebus ex divina institutione

1. Io., III, 5. — 2. Sess. VII, can. 13.

determinatis. Atqui sacramenta novae Legis sunt ritus per quos homines sanctificantur, secundum illud [1]: *Abluti estis, sanctificati estis.* Ergo in sacramentis novae Legis oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

5. — Evolvitur argumentum. — *Maior* sola probatione indiget, nam *minor* per se patet. — In usu rituum quibus homines sanctificantur, duo considerari possunt, scilicet cultus divinus, et sanctificatio hominis: quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum; secundum autem e converso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non spectat autem ad aliquem inferiorem determinare illud quod est in potestate superioris, sed solum potest illud determinare quod est in sua potestate. Atqui cultus Dei et sanctificatio hominis sunt in potestate Dei. Ergo ad homines non pertinet suo iudicio assumere res, quibus ipsi sanctificentur et Deus colatur; sed hoc ex divina institutione debet determinari. Igitur sacramenta, quibus homo sanctificatur, qualia sunt sacramenta novae Legis, debent habere res sensibiles ex divina institutione determinatas.

6. — Confirmatur. — Ad eumdem pertinet determinare quales res sensibiles assumi debeant in sacramentis ad significandum, ad quem pertinet determinare quibus similitudinibus in certis Scripturae locis res spirituales significentur: utrumque enim ad eumdem ordinem pertinet. Atqui determinare similitudines quibus Deus aliquando metaphorice significatur in Scripturis pertinet ad iudicium Spiritus Sancti: sic enim videmus Deum quandoque significari per lapidem, quandoque per leonem, quandoque per solem aut aliquid aliud huiusmodi. Ergo etiam ad iudicium Spiritus Sancti pertinet determinare quaenam res ad significandum assumantur in hoc vel in

1. 1 Cor., VI, 11.

illo sacramento. Quapropter, etsi idem potest per diversa signa significari, determinare tamen quo signo sit utendum ad significandum, pertinet ad significantem: Deus autem est qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis et per verba similitudinaria in Scripturis [1].

7. — Materia proxima et materia remota. — Comperto quod sacramenta sine re sensibili confici non possunt, iam concludendum est materiam esse de essentia cuiusque sacramenti: quae tamen, ex theologorum consensu, duplex solet distingui, scilicet remota et proxima; et remota quidem est ipsa res a Christo determinata, puta aqua in baptismo; proxima vero est usus seu applicatio huius rei, ut in eodem baptismo ablutio aquae, quae quidem aliud non est, nisi motus qui sequitur ad actionem et passionem.

8. — Comparatio inter legem Christi et legem naturae. — Porro, cum in lege naturae non inveniatur talis determinatio facta, videndum est cur, e contra, in lege Christi, determinatae res ad sacramenta requirantur.

Ad quod discrimen deprehendendum, sciendum est quod, quia in statu legis naturae homines, nulla lege exterius data, solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ideo etiam ex interiori instinctu determinabatur eis quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur; unde non requirebantur tunc in sacramentis aliquae res determinatae, sed ex voto assumebantur, ut patet ex illo Geneseos loco [2], ubi Iacob vovit se Deo decimas et hostias pacificas oblaturum.

Porro, sicut diversis verbis significantur diversa tempora, scilicet praesens, praeteritum et futurum, ita diversa sacramenta diversis temporibus congruunt, ut ait S. Augu-

1. Ad 1m. — 2. C. XXVIII, 20 et sqq.

stinus [1]; quapropter postmodum necesse fuit etiam exterius legem dari, tum propter obscurationem legis naturae ex peccatis hominum, tum etiam ad expressiorem significationem gratiae Christi per quam humanus genus sanctificatur; et ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines uterentur in sacramentis [2].

9. — Solvitur tacita obiectio. — Obiicienti autem, per huiusmodi determinationem circa usum aliquarum rerum, hominum salutem arctari, cum Christus praecise venerit ut omnes salvaret, — facile *respondetur*, negando suppositum, quia res, quarum usus necessarius est in sacramentis, vel communiter habentur, vel parvo studio adhibito haberi possunt; ideoque minime propter hoc coarctatur via salutis humanae [3].

10. — Advertendum. — Advertendum autem est, S. Thomam hic specialiter loqui de sacramentis novae Legis, etsi de sacramentis quoque veteris Legis idipsum sit retinendum, ut quaestione sequenti patebit: nam, sicut solius Dei est determinare res sensibiles per quas gratiam conferat, ita etiam eiusdem solius est statuere res per quas promittit se gratiam daturum. Quapropter legimus [4]: *Tantum confortamini et estote solliciti, ut custodiatis cuncta quae scripta sunt in volumine legis Moysi, et non declinetis ab eis neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

11. — Difficultas solvitur. — Eadem est ratio de medicinis corporalibus quae ad salutem corporis ordinantur, et de sacramentis quae sunt medicinae spirituales ad salutem animae ordinatae. Atqui in medicinis corporalibus potest una res poni pro alia in eius defectu.

1. L. XIX contra Faustum, cc. 16 et 17. — 2. Ad 3m. — 3. Ibid. — 4. Ios., XXIII, 6.

Ergo in sacramentis poterit una res assumi pro alia, quando illa defuerit.

Resp. Dist. mai.: analogice, *conc.*; univoce *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Non est eadem omnino ratio de sacramentis quae sunt spirituales medicinae, et de medicinis corporalibus. Res enim sensibiles habent naturaliter sibi inditas virtutes conferentes ad corporalem salutem, ideoque si duae earum eamdem virtutem habeant, non refert qua quis utatur; sed ad sanctificationem res sensibiles non ordinantur ex aliqua virtute sibi naturaliter indita, sed solum ex institutione divina, et ideo oportuit divinitus determinari, quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis utendum [1]. Quia autem sacramenta sunt ad communem utilitatem permanenter ordinata, ideo necesse fuit ut publica et stabili lege instituerentur, ita ut omnibus innotescerent, et stabiliter permanerent, quousque essent homines sanctificandi.

Articulus VI. — *Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba.*

1. — Verbum proprie et metaphorice acceptum. — Ad intelligentiam huius quaesiti, recolendum est verbum aliud esse proprium, aliud metaphoricum. Et quidem, primo et principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur; secundario vero ipsa vox interioris conceptus significativa; tertio autem ipsa imaginatio vocis. Metaphorice autem dicitur verbum id quod verbo significatur vel efficitur, sicut consuevimus dicere: *Hoc est verbum quod dixi tibi, vel quod mandavit rex,* demonstrato aliquo facto quod verbo significatum est, vel simpliciter enunciantis, vel etiam imperantis [2].

1. Ad 2m. — 2. Tract. de SS.ma Trinitate, Quaest. XXXIV, art. 1, nn. 3, 4, p 214, seq.

2. — **Ratio articuli.** — Porro planum est nos hic non sumere verbum secundum quod metaphorice accipitur: sic enim de hac re actum est articulo praecedenti; res enim visibiles sacramentorum dicuntur verba per quamdam similitudinem, in quantum scilicet participant quamdam vim significandi, quae principaliter inest ipsis verbis; quo sensu aiebat S. Augustinus [1]: *Quid sunt aliud quaeque corporalia sacramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia* [2]? Agitur hic ergo de verbo proprie dicto, et quidem secundum quod ipsa vox interioris conceptus significativa dicitur verbum: manifestius enim et communius in nobis dicitur verbum quod voce profertur. Igitur quaestio hic proprie proponitur de verbis quae in sacramentis rebus visibilibus superadduntur, in quantum ordinantur ad has res determinandas.

3. — **Errores.** — I. Ex catholicis theologis, vix inveniuntur Durandus [3] aliique pauci, negasse, aut in dubium vertisse, omnia sacramenta, nullo excepto, constare rebus et verbis [4]. — II. Quod vero ad Novatores attinet, fuit primitus Lutheri error, certa verba minime requiri in sacramentis: quem tamen errorem postea retractavit [5]. Attamen, cum in protestantium systemate sacramenta solum instituta sint ad fidem excitandam, hinc plures Lutheri sectatores logica consequentia errorem illum amplexi sunt. — III. Demum, quod attinet ad Calvinistas, hi primum posuerunt, in solo baptismo requiri ut verba

1. L. XIX Contra Faust. c. 16I, t. VIII, p. 321. — 2. Ad 1m. — 3. Hic est Durandus a S. Portiano (de Saint-Pourçain), Ord. Praedic., S. Palatii Apost. Mag. et episc. Anicien., circa ann. Dom. 1333 mortuus, qui in opere, *In sententias theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, plurimum a doctrinis S. Thomae discessit, dictus propterea *Doctor resolutissimus*. Contra eum scripsit eius confrater Durandus Durandellus, cuius opus his verbis Psalmi XLIX: *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris,* inchoatur. — 4. Cf. Card. Bellarmin., de Sacramentis in genere, l. I, c. 18. Ingolstadii, 1588, t. II, col. 68. — 5. Cf. Bellarmin., Ibid., c. 21, col. 91, 92.

quaedam proferantur dum aqua infunditur; attamen, verbum quod ad sacramenti essentiam pertinet, est verbum concionatorium, quo minister populum adhortatur ad fidem habendam in Dei promissionibus: quod proinde verbum, iuxta illos, consecratorium non est, seu sanctificativum, nisi forte sensu quodam latiori, quo scilicet res ab usu profano ad sacrum et religiosum usum transfertur. — Contra istos omnes, sit

4. — PROP. — α) **Requiritur ut in sacramentorum significatione verba rebus sensibilibus adiungantur;** β) **et quidem non verba concionatoria, sed consecratoria vel sanctificativa.**

5. — **Prob. 1ª pars.** — Haec veritas ad fidem pertinet ob constantem Ecclesiae traditionem, quae ita a S. Augustino exprimitur [1]: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum;* et in Concilio Florentino legitur [2] quod *omnia sacramenta tribus perficiuntur: videlicet, rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri.*

Idipsum confici potest ex sequentibus verbis S. Pauli [3]: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradit pro ea ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae* [4].

6. — **Notandum.** — Circa hunc textum, notandum est quod S. Augustinus [5], et cum eo S. Hieronymus, potius intelligunt id quod dicitur *verbum*, de doctrina evangelica, quatenus fide suscipitur, iuxta illud [6]. *Hoc est verbum fidei quod praedicamus: quoniam si confessus fue-*

1. Tract. 80 sup. Io. t. III, par. II, p. 703, n. 3. —. 2 Decr. pro Arm. Supra, p. 27. — 3. Eph., V, 25, 26. — 4. Graecus textus, genitivum *vitae* omittit: καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι; Catechismus quoque Romanus, hunc locum citans ubi de baptismi fructibus agit, P. II. c. II, n. 21, omittit nomen *vitae*. — 5. Loco cit. — 6. Rom., X, 8.

ris, etc. Et quidem haec interpretatio erui posse videtur ex eo quod Apostoli effectum baptismi, scilicet regenerationem, mundationem et salutem, tribuunt originarie verbo fidei, ut in hoc S. Petri [1]: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum.* Enimvero si, ut advertit Estius [2], Apostolus verbum sacramentale voluisset intelligi, potius dixisset: *Mundans eam lavacro aquae et verbo*, id est, per aquam et verba simul cum lotione prolata. — His tamen nonobstantibus, S. Ioannes Chrysostomus caeterique posteriores Patres graeci latinique hunc locum referunt ad formulam verborum sacramentalium: quod et facit Catechismus Romanus, cum inibi materiam et formam sacramentorum expressam deprehendat [3].

7. — Ostenditur propositio. — Cum sacramenta adhibeantur ad hominum sanctificationem sicut quaedam signa, tripliciter possunt considerari, scilicet: α) ex parte causae sanctificantis; β) ex parte hominis qui sanctificatur; γ) ex parte significationis sacramentalis: et quidem quolibet horum modorum congruit sacramentis quod verba rebus sensibilibus adiungantur, ut rem consideranti facile patebit.

8. — Evolvitur argumentum. — α) Imprimis congruit sacramentis quod verba rebus sensibilibus adiungantur, ex parte *causae sanctificantis*. Haec quippe alia non est nisi Verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur, in hoc quod verbum coniungitur rei sensibili, sicut in mysterio Incarnationis Verbum Dei unitum est carni sensibili. — β) Congruit etiam ex parte *hominis qui sanctificatur*, ut in sacramentis verba adiungantur rebus sensibilibus; quia homo componitur ex anima et

1. 1 Ep. I, 23. — 2. Comment. in cit. locum S. Pauli. — 3. P. II. c. I, n. 15.

corpore, eique proportionatur sacramentalis medicina, quae per rem visibilem corpus tangit, et per verbum ab anima creditur. Quocirca S. Augustinus ait [1]: *Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.* In hoc quippe differt spiritualis medicina a corporali, quod illa, secus ac ista, effectum non producit, nisi consentiente anima. — γ) Demum, ex parte *ipsius significationis sacramentalis*, hoc idem sacramentis congruit quia, ut S. Augustinus dicit [2]: *Verba inter homines obtinuerunt principatum significandi quaecumque animo concipiuntur.* Revera verba diversimode formari possunt ad diversos mentis conceptus significandos; et propter hoc per verba magis distincte possumus exprimere quod mente concipimus. Quapropter, ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest et ablutionem, propter suam humiditatem, et refrigerium, propter suam frigiditatem; sed cum dicitur: *Ego te baptizo*, manifestatur quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem. Quocirca dicebat S. Augustinus [3]: *Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.*

Patet igitur quod sacramentis omnimode consideratis congruunt verba rebus sensibilibus adiuncta; unde res et verba in sacramentis se habent quo modo in rebus natura vel arte compositis, materia et forma, et res sensibilis imperfecta determinatur per verba ministri.

9. — **Prob. 2ª pars.** — Quod verba sacramentalia, non concionatoria, sed consecrativa et sanctificativa esse de-

1. Tract. LXXX in Io., super illud Io. XV, 3: *Iam vos mundi estis propter sermonem*, etc. t. III, P. II, col. 703. — 2. Lib. II de Doct. Christ. cap. 3, t. III, par. I, p. 20. — 3. Tract. LXXX in Io., n. 3.

beant, primo manifestatur ex diverso fine quem habent hinc verba concionatoria, illinc verba consecrativa et sanctificativa: per illa enim veritas manifestatur, et sic fides audientis excitatur; per haec autem materiae inditur divinitus arcana quaedam vis ad opus sacramenti perficiendum, quod est hominis sanctificatio. Hanc vero differentiam apprime notavit S. Paulus, dum ait [1]: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare;* quinimmo legimus quod eunuchus Reginae Candacis [2] et Cornelii familia [3] non prius baptizati sunt, quam ille quidem a diacono Philippo, hic vero ab Apostolo Petro fuerint in fidei principiis edocti.

Enimvero, si quis attente consideret verba a Domino nostro instituta relate ad duo illa sacramenta quae et protestantes admittunt, scilicet baptismum et Eucharistiam, facile deprehendet verba illa non ad instructionem ordinari, sed invocationis, consecrationis et sanctificationis speciem praeseferre. Forma enim baptismi est: *Ego te baptizo in nomine Patris*, etc. [4]; quibus profecto verbis Trinitatis invocatio super aquam significatur, quatenus ex verbis huiusmodi et re sensibili unum fiat humanae sanctificationis efficax principium; pariter Eucharistiae forma est: *Hoc est corpus meum* [5]: quae verba involvere benedictionem et consecrationem evincitur ex hoc S. Pauli [6]: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nomen communicatio Sanguinis Christi est.*

Demum, advertatur parvulis quoque et perpetuo amentibus baptismum valide et fructuose administrari. Atqui isti, cum rationis capaces non sint, nec concionem percipere valent, nec fidem actu profiteri. Ergo concludatur, sacramentalia verba non concionatoria, sed consecrativa materiae et sanctificativa hominis esse debere.

1. 1 Cor., I, 17. — 2. Act., VIII, 38. — 3. Ibid., X, 48. — 4. Cf. Matth. XXVIII, 19. — 5. Cf. Matth., XXVI, 26. — 6. 1 Cor., X, 16.

10. — Quaestio. — *Utrum etiam in sacramentis veteris Legis adhibita fuerit aliqua forma verborum?*

Resp. Affirmative, nimirum in his quae ad cultum Dei pertinebant, verbis utebantur in veteri Lege tam sacerdotes qui erant sacramentorum illorum ministri, quam etiam illi qui sacramentis illis utebantur; nam, relate ad primos, legitur [1]: *Sic benedicetis filiis Israel et dicetis eis: Benedicat tibi Dominus*, etc.; relate ad alios autem legitur [2]: *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod*, etc. — Attamen verba non fuerunt tam expresse determinata in veteri, sicut in nova Lege; quia, ut habet S. Augustinus [3], alia debent esse sacramenta rei praesentis et alia rei futurae, et his ablatis, illa fuerunt instituta: atqui sacramenta veteris Legis praenuntia erant Christi venturi, et ideo non ita expresse significabant Christum, sicut sacramenta novae Legis, quae ab ipso Christo effluunt et quamdam similitudinem ipsius in se habent [4]. Quapropter verba, quorum usus fuit in illorum sacramentorum administratione, non essentialia fuerunt, sed caeremonialia tantum.

11. — Difficultas. — Ex his quae sunt diversorum generum non potest fieri aliquid unum. Atqui res sensibiles et verba sunt diversorum generum. Ergo ex rebus sensibilibus et verbis non potest fieri unum quale est sacramentum.

Resp. *Dist. mai.*: si ea sint diversorum generum, tum in essendo, tum in significando, *conc.;* si conveniant in ratione significandi, non potest ex eis fieri unum, *subdist.*: in essendo, *conc.;* in significando, *nego. Dist. min.*: res sensibiles et verba diversorum sunt generum, in essendo, *conc.;* in significando, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Utique, si inspiciatur natura rerum, verba et aliae res

1. Num., VI, 23, 24. — 2. Deut., XXVI, 3. — 3. L. XIX contra Faust., cc. 16 et 17, t. VIII, p. 321. — 4. Ad 3m.

sensibiles sunt in diverso genere : res enim sensibiles sunt a natura, verba autem a ratione. Si autem consideretur ratio significandi, sic inveniuntur convenire, ita tamen quod vis significativa perfectius inveniatur in verbis quam in aliis rebus, unde ex verbis et rebus fit quodammodo unum in sacramentis, sicut ex materia et forma, in quantum per verba perficitur significatio rerum. — Notandum autem quod sub rebus comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, puta ablutio, inunctio et alia huiusmodi, quia in his est eadem ratio significandi ac in rebus [1].

12. — Corollaria. — I. Ex supradictis constat, sacramentum non esse materiam solam neque formam solam, sed id quod ex illis, tanquam partibus essentialibus, perficitur, ad similitudinem totius physici vel artificialis, cuius ratio oritur ex coniunctione utriusque simul sumpti ; et licet ex pluribus constituatur, est tamen unum in genere signi et instrumenti gratiae, seu, ut ait S. Thomas [2], *materia et forma simul sunt unum sacramentum.*

II. Ex hoc etiam equitur quod huiusmodi partes debent esse simul, quod intelligitur non de coniunctione omnino physica, sed potius morali, ita scilicet ut, iuxta communem concipiendi modum, unum alteri applicetur et alterum ab altero determinetur ; si autem tantum temporis intercedat inter applicationem materiae et prolationem formae, ut more humano non censeantur esse simul, tunc sacramentum non perficeretur [3].

1. Ad 2m. — 2. Quaest. XXVII de Verit., art. 4, ad 10m. — 3. Franc. Sylv., in h. l. — Praeclara sunt, hac in re, verba Leonis XIII, in Litt. Ap. *Apostolicae curae,* de ordin. anglic., 13 Sept., 1896 : *Significatio* (sacramentorum N. L.), *etsi in toto ritu essentiali, in materia scilicet et forma, haberi debet, praecipue tamen ad formam pertinet, cum materia sit pars per se non determinata, quae per illam determinetur.*

Articulus VII. — *Utrum requirantur determinata verba in sacramentis.*

1. — Usus verborum in diversis idiomatibus. — Cum antea [1] quaesitum fuerit de determinatis rebus in sacramentis, hic quaeritur de verborum determinatione, et quidem ex divina institutione. Ubi tamen statim advertendum monemus, non hic agi de varietate idiomatum, quae minime officit unitati determinationis et significationis: licet enim voces non sint eaedem apud omnes, ut ait Philosophus [2], scilicet quantum ad sonum, sensus tamen idem apud omnes viget; aliunde verbum, ut ait S. Augustinus [3], operatur in sacramentis, *non quia dicitur*, id est non secundum exteriorem sonum vocis, *sed quia creditur*, id est secundum sensum verborum qui fide tenetur; quapropter cuiuscumque linguae verbis proferatur talis sensus, perficitur sacrmentum [4].

2. — Solvitur tacita obiectio. — Obiicienti non esse validum sacramentum si assumantur aliae res, caeteroquin aptae ad significationem effectus sacramenti, unde a pari, sacramentum non erit validum, si assumantur verba alterius idiomatis ab idiomate quo Christus usus est, — *respondetur* non idem iudicium esse ferendum de verbis et de rebus: nam pro diversitate nationum variantur verba, non res, cum apud omnes eaedem sint res, ut aqua, vinum, oleum, etc.

Quae cum ita sint, hic proprie agitur de determinatione aut variatione verborum in singulis idiomatibus; pro quo sit

3. — PROP. — In sacramentis requiruntur determinata verba.

1. Art. 5. — 2. L. I Periherm. — 3. Tract. LXXX sup. Io., n. 3. t. III, P. II, col. 703. — 4. Ad 1m.

Propositio haec est de fide, cum Dominus Noster determinata verba protulerit in consecratione sacramenti Eucharistiae, dicens [1]: *Hoc est corpus meum;* et similiter mandaverit discipulis, ut sub determinata forma verborum baptizarent, iubens [2]: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.*

4. — **Prob. rat. theol.** — In sacramentis, ut dictum est, requiruntur determinatae res sensibiles, quae se habent per modum materiae. Ergo multo magis requiruntur in eis determinata verba quae se habent sicut forma.

Prob. consequentia. Revera, in omnibus compositis ex materia et forma, principium determinationis est ex parte formae quae est quodammodo finis et terminus materiae; et ideo principalius requiritur ad esse rei determinata forma, quam determinata materia: materia enim determinata requiritur ut sit proportionata determinatae formae. Ex hoc igitur quod in sacramentis requiruntur determinatae res sensibiles, quae sunt quasi materia, evidenter sequitur quod in eis multo magis requiruntur determinata verba, quae sunt quasi forma.

5. — **Quaestio I.** — *Quaenam voces assumi debent in sacramentorum significatione?*

Resp. Cum in qualibet lingua contingat diversis vocibus idem significari, semper tamen aliqua illarum vocum est, qua principalius et communius homines illius linguae utuntur ad hoc significandum, et talis vox assumi debet in significatione sacramenti. Et idipsum patet etiam considerato usu rerum sensibilium quae assumuntur in significatione sacramentorum: scilicet, inter res sensibiles illa assumitur ad significationem sacramenti, cuius usus est communior ad actum per quem effectus sacramenti signifi-

1. Matth., XXVI, 26. — 2. Ibid., XXVIII, 19.

catur, sicut aqua communius utuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis ablutio significatur, et ideo aqua assumitur ut materia in baptismo [1].

Advertendum tamen est quod vox aliqua reputatur communis et principalis ad significationem sacramenti, quae communi usu fuerit recepta, ut advertit Sylvius [2], sive sit istius linguae nativa et ex primaria vocis institutione, sive non; quo modo usurpantur in Ecclesia latina graecae voces *baptizo, baptismus, chrisma.* Et simile est materiae in sacramentis, quae aestimanda est in ordine ad usum humanum et iuxta Ecclesiae traditionem: sic quippe massa farinae subactae ante coctionem non censetur materia idonea Eucharistiae, sive differat specie a pane, ut creditur, sive non, neque nix aut glacies non soluta est materia idonea baptismi.

6. — Quaestio II. — *Quaenam verborum corruptio irritum facit sacramentum?*

Resp. Qui corrupte profert verba sacramentalia, aut hoc facit ex industria, aut hoc facit ex errore vel lapsu linguae. Si primum, non videtur sacramentum perfici; quia sic ex industria proferens verba sacramentalia non censetur velle facere id quod facit Ecclesia. Si secundum, hoc dupliciter potest accidere. Vel tanta est corruptio, quae omnino auferat sensum locutionis, et tunc non videtur perfici sacramentum, quia forma sacramenti est sensus verborum. Hoc autem praesertim contingere censetur quando corruptio fit ex parte principii dictionis, puta, si loco eius quod est: *In nomine Patris,* dicat: *In nomine matris.* Vel corruptio non totaliter aufert sensum locutionis ut contingit praecipue, quando fit ex parte finis, puta si quis dicat: *In nomine Patrias et Filias;* et tunc nihilominus perficitur sacramentum [3]. Quamvis enim huiusmodi verba sic corrupte prolata, nihil significent ex vir-

1. Ad 2m. — 2. In h. l. — 3. Cfr. can. 86 dist. IV. 3a parte decreti.

tute impositionis, accipiuntur tamen ut significantia ex accommodatione usus; ideoque, licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus.

Quod autem dictum est de differentia corruptionis circa principium vel finem dictionis, rationem habet, quia apud nos variatio dictionis ex parte principii mutat significationem, variatio autem ex parte finis dictionis, ut plurimum, mutat consignificationem, quae tamen apud graecos variatur etiam secundum principium dictionis in declinationibus verborum. Magis tamen videtur attendenda quantitas corruptionis, quia ex utraque parte potest esse tam parva, quod non auferat sensum verborum, et tam magna quod auferat; sed unum horum facilius accidit ex parte principii, scilicet quod totaliter auferatur sensus, et aliud ex parte finis, scilicet quod non totaliter auferatur [3]. — Quidquid autem hoc sit, quod certo non facile determinatu in omnibus casibus est, sacramentorum ministro praeprimis cavendum est ut verba accurate pronunciet, ne sacramentum frustretur [4].

Articulus VIII. — *Utrum liceat aliquid addere verbis in quibus consistit forma sacramentorum.*

1. — Ratio praesentis dubii. — Dubitandi motivum inde desumitur quod, in quorumdam sacramentorum formis, non omnino eadem usurpantur verba in latina et in graeca Ecclesia. Sic, verbi gratia, in baptismi administratione, latini utuntur hac forma. *Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* graeci autem haec altera: *Baptizetur servus Christi N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* et tamen utrinque ve-

1. Ad 3m, ad litt. — 4. De omnium sacramentorum institutione a Christo directe facta, deque rerum ac verborum sacramentalium determinatione ab eodem assignata, ex professo agemus infra, scilicet quaestione LXIV, art. 2.

rum confertur sacramentum; unde videretur, in formis sacramentorum, aliquid addi vel minui posse.

Ex altera autem parte, videtur ad sacramentorum formas pertinere contestatio quae, relate ad textum Sacrae Scripturae, legitur, scilicet de nihil addendo vel minuendo verbis illius: maxime cum non minoris sint necessitatis ad salutem verba sacramentalia, quam verba Scripturae Sacrae. Sic quippe legimus [1]: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo;* et rursus [2]: *Contestor omni audienti verba prophetiae libri huius: si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto; et si quis diminuerit de verbis libri prophetiae huius, auferet Deus partem eius de libro vitae;* ex quo inferendum videretur quod nec in formis sacramentorum aliquid addere vel minuere liceat, salva eorumdem validitate [3].

2. — **Intentio huius articuli.** — Quae cum ita sint, praesentis articuli intentio est, ut tuta stabiliatur norma, qua determinari valeat quales additiones vel subtractiones, in formis sacramentorum, eorumdem validitati noceat. — Dicimus *validitati:* nam, quod ad liceitatem spectat, pronum est debere sacramentorum ministrum in omnibus se conformare suae Ecclesiae ritui. — Hic autem generaliter tantummodo propositam solvemus quaestionem; determinaturi de variationibus quae in quibusdam sacramentis obtinent, ubi de istis ex professo tractabitur.

3. — **Norma generalis.** — Porro, ad cognoscendum quaenam mutationes in formis sacramentorum possint eorumdem valorem frustrare, duo videntur esse considerandа: unum quidem ex parte eius qui profert verba, cuius intentio requiritur ad sacramentum, ut infra dice-

1. Deut., IV, 2. — 2. Apoc., XXII, 18. — 3. Ad 1m.

tur [1]; aliud est ex parte significationis verborum, cum verba operentur in sacramentis quantum ad sensum quem faciunt, ut dictum est [2].

Oportet ergo considerare utrum et quomodo per primam et alteram mutationem tollatur sensus debitus verborum, ut sciatur utrum tollatur veritas sacramenti. — Igitur, si proferens verba sacramentalia addat aliquid ad formam sacramentorum vel ab ea aliquid auferat, intendens, per huiusmodi additionem vel diminutionem alium ritum introducere qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentum, quia non videtur quod intendat facere id quod facit Ecclesia.

Si vero per talem mutationem, quae fit addendo ad formam vel diminuendo de forma sacramentorum praescripta, tollatur debitus sensus verborum, pariter non perficitur sacramentum, si quidem hoc modo tollatur veritas sacramenti, quia verba operantur in sacramentis quantum ad sensum quem faciunt, ut dictum est. Unde omnis additio, vel diminutio auferens debitum verborum sensum, tollit veritatem sacramenti. — Quae cum ita sint, iam pronum est sequentes statuere propositiones.

4. — PROP. I. — **Si diminuatur aliquid eorum quae sunt de substantia formae sacramentalis, non perficitur sacramentum.**

5. — **Ostenditur.** — Quia hoc modo tollitur debitus sensus verborum et significatio formae sacramentalis; unde dicit S. Hieronymus [3]: *Sine Spiritu Sancto et mysterio Trinitatis, quidquid in unam et alteram personam accipitur, imperfectum est.*

6. — PROP. II. — **Si subtrahatur aliquid quod non sit de substantia formae, non tollitur perfectio sacramenti.**

1. Quaest. LXIV, art. 8. — 2. Art. praec., n. 1, p. 47. — 3. Comment. in Ioel, C. II, t. VI, P. I, col. 202.

7. — **Ostenditur.** — Quia talis diminutio non tollit debitum sensum verborum et consequenter nec sacramenti perfectionem. Sic, in forma Eucharistiae, quae est: *Hoc est enim corpus meum,* si quis particulam *enim* abstulerit, non propterea tollit debitum sensum verborum, et ideo non impedit perfectionem sacramenti, quamvis contingere possit quod ille qui eam praetermittit, ex negligentia vel contemptu peccet. Enimvero, verba pertinent ad formam sacramenti ratione sensus significati, et ideo quaecumque fiat additio vel subtractio verborum, quae non addat aliquid aut subtrahat debito sensui, non tollitur species seu veritas sacramenti [1].

8. — PROP. III. — **Si apponatur aliquid formae sacramentali, quod sit corruptivum debiti sensus, talis additio tollit veritatem sacramenti.**

9. — **Ostenditur.** — Si quis enim dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris et Filii minoris,* sicut ariani baptizabant, certe tollitur veritas sacramenti, quia per huiusmodi additionem totaliter corrumpitur forma a Christo instituta.

10. — PROP. IV. — **Si formae sacramenti apponatur aliquid, quod non auferat debitum sensum, non tollitur veritas sacramenti.**

11. — **Ostenditur.** — Si quis enim dicat: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii eius Unigeniti, et Spiritus Sancti Paracliti,* erit verum baptisma; et similiter si quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; et Beata Virgo te adiuvet;* erit verum baptisma. Non refert autem utrum talis additio fiat in principio, vel in medio, vel in fine verborum quae sunt forma sacramentorum.

1. Ad 2m.

12. — **Solvitur tacita difficultas.** — Obiicienti autem, quod sicut prohibemur adiungere verba Sacrae Scripturae, ita etiam abstinere debemus ne quid superaddamus formis sacramentalibus, quae non sunt minoris necessitatis ad salutem, — *respondetur*, quod ad verba Sacrae Scripturae non licet aliquid apponere, quantum ad sensum; sed quantum ad expositionem Sacrae Scripturae multa a sanctis Doctoribus verba ei apponuntur, quae tamen de illius integritate non sunt: esset autem vitium falsitatis, si quis verba Sacrae Scripturae ita apponeret, ut ea diceret esse de illius integritate: hoc enim esset contra veritatem; et similiter peccaret, imo sacramentum frustraret, qui aliquid adiungere praesumeret formis sacramentalibus, tanquam de illius formae necessitate, quod tamen revera non sit, cum plane sufficiant verba a Domino nostro instituta [1].

13. — **Quaestio I.** — *Utrum valeret baptismus, si quis diceret:* EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, ET BEATAE VIRGINIS MARIAE?

Respondet S. Thomas quod forte non esset baptismus, quia dicitur [2]: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Sed, addit, hoc verum est, si sic intelligatur baptizari in nomine Beatae Virginis, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur: talis quippe sensus esset contrarius verae fidei, et per consequens tolleret veritatem sacramenti. Si vero sic intelligatur quod additur: *In nomine Beatae Virginis,* non quasi nomen Beatae Virginis aliquid operetur in baptismo, sed ut eius intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio sacramenti. Ex his constat, an et quomodo, salva veritate sacramenti, verbis in quibus consistit forma sacramento-

1. Ad 1m. — 2. 1 Cor., I, 13.

rum possit aliquid addi, vel ab eis aliquid detrahi: quanquam peccet qui Ecclesiae ritum non observat.

14. — **Quaestio II.** — *Quaenam verborum interruptio sit compossibilis cum veritate sacramentorum?*

Resp. Certum est, ad veritatem sacramenti, sicut requiritur determinata forma verborum, consistens in numero et ordine eorumdem, ita etiam requiri orationis continuitatem, sine qua significatio, in qua formae sacramentalis vis consistit, non salvatur. Igitur, si tanta sit interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus sacramenti et per consequens veritas eius: non autem tollitur, quando parva tantum est interruptio, quae scilicet intentionem proferentis et intellectum verborum non aufert. Et idem dicatur de transpositione verborum; quia si tollit sensum locutionis, non perficitur sacramentum, sicut patet de negatione praeposita vel postposita signo; si autem talis sit transpositio, quae sensum locutionis non variet, non tollitur veritas sacramenti, quia secundum quod Aristoteles dicit [1]: *Nomina et verba transposita idem significant* [2].

15. Quaestio III. — *Utrum verborum repetitio irritum reddat sacramentum?*

Resp. Negative, nisi novam inducat significationem, aut animo fiat novum ritum inducendi: sic non valeret forma baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris; ego te baptizo in nomine Filii,* etc., si quis haec verba proferret, intendens tripliciter eidem personae baptismum conferre; si quis autem id non intenderet, validus esset baptismus.

16. — Quaestio IV. — *Utrum idiomatis mutatio stare possit cum veritate sacramentorum?*

1. Lib. II, Periher., cap. 1. — 2. Ad 3m.

Resp. Affirmative, dummodo debitus sensus retineatur; immo sacramentum non frustratur, etiamsi idiomatum mixtio in una numero forma inducatur. Sed nec synonymorum usus, etsi profecto illicitus, invalidum reddit sacramentum, puta si quis dicat: *Ego te abluo,* etc.

17. — **Scholion.** — Omnes modi qui vitari debent, ne in formis sacramentorum mutatio sive substantialis, sive accidentalis, inducatur, his possunt versiculis comprehendi:

Nil formae demas, nil addas, nil variabis,
Transmutare cave, corrumpere verba, morari [1].

1. Egregie Seraphicus Doctor (Dist. III, P. I, Art I, Quaest. II, Ad Claras Aquas, t. IV, p. 67), de forma in baptismo requisita loquens, primo statuit necesse esse *exprimi verbum vocale, quia Deus contulit vim verbo, unde sine verbo nullius est efficaciae* (baptismus). Tum huius rationem reddit, quia est perfecta fidei professio, et etiam perfecta signatio, quia facta est regeneratio per Verbum incarnatum, et Verbum incarnatum optime signatur per verbum voce indutum; ideo voluit Deus et instituit, quod esset in sacramentis verbum vocale. Tum, propositam sibi difficultatem quod verba vocalia non sunt eadem apud omnes, solvit dicendo (Ad 4m) quod etsi diversae sint linguae, tamen conveniunt in intellectu et modo intelligendi, id est significatione et modo significandi; et quia non requiritur nomen secundum quod est vox tantum, sed secundum quod vox sit significans et tali modo, et hoc est idem apud omnes, ideo sacramentum est idem, sicut *homo* et ἄνθρωπος.

QUAESTIO SECUNDA

(LXI)

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM

Prologus.

1. — Quo sensu ly necessarium hic sumatur. — Acturi de necessitate sacramentorum, prius advertere debemus necessarium hic sumi secundum habitudinem causae finalis, et quidem ex parte hominum, non Dei. Revera, cum Deus sit supremum ens, nulla re indiget ad effectus suos producendos; unde non est putandus potestatem suam sacramentis alligasse. At ex quo hominum salutem per sacramenta procurari voluerit, convenienter rationes huius dispositionis investigationi nostrae subiiciuntur, quo lucidior nobis appareat divinae sapientiae ratio.

2. — Sacramentorum necessitas relate ad societatem. — Porro, necessitas sacramentorum, quae heic consideratur, respicit hominem individualiter sumptum, prout scilicet ad vitam aeternam consequendam a Deo est ordinatus. Quod enim spectat ad societatem ut sic consideratam, in comperto est non posse homines in unum verae religionis nomen congregari, nisi aliquo sacramentorum, late sumptorum, vinculo adunentur, quibus, quasi visibilibus tesseris, foedere consocientur, quatenus de bonis societatis propriis partecipare possint: quo modo videmus artificum vel negotiatorum coetus, signo suae artis aut negotiationis distingui, quo ad invicem agnosci possint, quatenus unum corpus morale efficiunt. At cum unicuique Deus curam commiserit propriae aeternae sa-

lutis procurandae, considerandum nunc est, qualiter sacramentis ad hoc indigeat, in diversis statibus in quibus possit inveniri.

3. — Ordo quaestionis. — Porro quaestio haec considerari potest, tum absolute et in se (1), tum relate ad diversos hominum status (2-4), qui tres distingui possunt, scilicet ante peccatum (2), post peccatum et ante Christum (3), post Christum (4).



Igitur in hac quaestione quatuor quaeruntur.

Primo. Utrum sacramenta sint necessaria ad salutem humanam.

Secundo. Utrum fuerint necessaria in statu ante peccatum.

Tertio. Utrum fuerint necessaria in statu post peccatum ante Christum.

Quarto. Utrum fuerint necessaria post Christi adventum

ARTICULUS I. — *Utrum sacramenta sint necessaria ad salutem humanam.*

1. — Ratio huius articuli. — Non de homine in aliquo determinato statu constituto hic agitur, sed independenter a speciali tempore, dummodo tamen supponatur

homo ipse in finem supernaturalem elevatus, et quidem in statu naturae lapsae existens, ut supponunt subnectenda argumenta. Necessitas vero, quae hic consideratur, est ex suppositione finis, qui scilicet sine huiusmodi sacramentis vel haberi absolute non possit, vel saltem non tam facile queat obtineri.

2. — **Efficacia passionis Christi.** — Ulterius, advertendum monemus, non hoc sensu proponi quaestionem de necessitate sacramentorum ad salutem humanam, quasi Christi passio impar fuerit nostrae saluti procurandae: siquidem compertum est Christi passionem sufficientissimam causam extitisse salutis humanae, cum scriptum sit [1]: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* — Mors Christi, ait Angelicus [2], *potest considerari secundum quod processit ex voluntate Christi patientis, quae quidem voluntas informata fuit ad mortem sustinendam, cum ex obedientia ad Patrem..., tum etiam ex caritate ad homines...; et ex hoc mors Christi fuit meritoria et satisfactoria pro peccatis nostris, et in tantum Deo accepta, quod suffecit ad reconciliationem omnium hominum, etiam occidentium Christum, ex quibus aliqui sunt salvati ipso orante.* — Quapropter si hic quidem asseretur sacramentorum necessitas, hoc erit supposita efficacia passionis Christi ex qua illa virtutem suam obtinent [3].

3. — PROP. — **Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem.**

4. — **Auctoritas.** — Haec propositio, quae de fide est, ita statuitur in Concilio Tridentino [4]: *Si quis dixe-*

1. Rom., V, 10. — 2. Comment. in h. cap. Rom., lect. II. — 3. Cf. ad 3m. — 4. Sess. VII, can. 4.

rit, sacramenta Novae Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, A. S.

5. — **Prob. ratione theol.** — α) *Ex conditione humanae naturae.* — Nimirum, naturae humanae proprium est, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur. Atqui ad divinam providentiam pertinet, ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis; unde convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis quae sacramenta dicuntur. — *Nihil, enim sensibile nobis Christus tradidit,* ait S. Ioannes Chrysostomus [1], *sed sensibilibus quidem rebus, at omnia intelligibilia. Itidem et in baptismate: per rem nempe sensibilem, aquam, donum confertur: intelligibile vero quod perficitur, generatio et renovatio. Si enim incorporeus esses, nuda et incorporea tibi dedisset ipse dona: sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi praebet.*

Equidem sufficiens causa humanae salutis est gratia Dei, iuxta illud quod Apostolo dictum est [2]: *Sufficit tibi gratia mea;* sed quia Deus dat hominibus gratiam secundum modum eis convenientem, ideo necessaria sunt eis sacramenta, tanquam sensibilia signa quibus ducantur ad gratiam consequendam [3].

Convenit etiam homini ut propter difficultatem percipiendi res spirituales, per signa exteriora, velut pignora quaedam, certior reddatur, se posse facile divinas promissiones consequi.

β) *Ex statu hominis peccatoris.* — Revera, ibi debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Atqui homo peccando se subdit per affectum rebus

1. Hom. LX ad pop. antioch. — 2. 2 Cor., XII, 9. — 3. Ad 2m.

corporalibus, terrena sectans, despectis caelestibus; unde conveniens fuit ut Deus per quaedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet; nam si spiritualia nuda ei proponerentur, animus corporalibus deditus eisdem applicari minime posset.

Equidem, si consideretur, in rebus et in verbis quae in sacramentorum significatione adhiberi consueverunt, corporalis exercitatio in quantum pure corporalis est, utique minus utilis forsan videbitur ad salutem, iuxta illud S. Pauli [1]: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est;* si vero praedicta exercitatio consideretur praecisae secundum quod adhibetur in usu sacramentorum, tunc pure corporalis non est, sed quodammodo spiritualis, scilicet per significationem relate ad omnia sacramenta, et etiam per causalitatem, si de sacramentis novae Legis agatur [2].

γ) *Ex studio actionis humanae.* — Videmus quod hominis operationes praecipue circa corporalia exercentur, ita quod esset ei durum si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur; unde proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis quibus salubriter exerceatur, ad evitanda superstitiosa exercitia, quae consistunt in cultu daemonum, vel qualitercumque noxia, quae consistunt in actibus peccatorum [3].

6. — Confirmatur. — Si considerentur sacramenta novae Legis tanquam *causae* salutis humanae, tunc urgetur praedicta necessitas, quia licet passio Christi sit causa nostrae salutis, ut dictum est, tamen necesse est ut ipsa per sacramenta hominibus quodammodo applicetur, secundum illud [4]: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus* [5].

1. 1 Tim., IV, 8. — 2. Ad 1m. — 3. Alias quoque causas ob quas instituta sunt sacramenta, quae tamen ad tres praecedentes facile reduci possunt, eleganter expositas vide in Catechismo Rom., P. I, c. 1, n. 14. — 4. Rom., VI, 3. — 5. Ad 3m.

7. — **Corollarium.** — Tres igitur assignari possunt causae in sacramentorum institutione, ut habet Hugo a S. Victore[1]: quarum prima pertinet ad *eruditionem* intellectus; secunda ad *humiliationem* affectus, et tertia ad *exercitationem* in bono et *praeservationem* a malo; seu, ut ait Angelicus, per sacramentorum institutionem, homo convenienter suae naturae *eruditur* per sensibilia; *humiliatur,* se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur; *exercetur* in bonis actibus et simul *praeservatur* a noxiis, per salubria exercitia sacramentorum.

8. — **Scholion.** — Quantum veritati cohaereat tertia ratio modo exposita, amplissime patet ex hoc quod cernimus, nempe homines qui ad sacramenta Ecclesiae non accesserunt, ut paganos, aut ea reiecerunt, ut apostatas, ritus superstitiosos amplecti, imo saepe peregrinis mysteriis aut initiamentis diabolicis dare operam, ut modo penes spiritistas obtinet. Nec praetereundum, muratoribus nostri aevi, quorum tessera est sacramenta Ecclesiae catholicae res esse vanas et futiles, ingenio humano ad simplices irretiendos inventas, sua esse sacra signa, res sane ineptas et ridiculas, quibus vafri mystagogi incautos quosque decipiunt.

Nota quoque, ex hac Angelici Doctoris animadversione, nempe consentaneum esse humanae naturae ut circa corporalia exerceatur, rationem proprie desumi cur et penes paganos ritus quidam adinveniantur cum ritibus nostris analogice convenientes: cum enim huc nos ferat naturalis propensio, ut ad corporalia, quatenus signa sunt spiritualium rerum, convertamur, hinc sponte omnis religio ad talia signa recurrit, quae necessario aliqualem analogiam cum sacramentis fidei gerunt, quin ex hoc liceat deducere, aut religionem christianam religionibus paganis affi-

1. L. I de Sacram.

nem existere, aut suos illam ritus ex istis hausisse, ut aevi nostri modernistae contendunt.

9. — Ethnicorum mysteria seu sacramenta. — Porro sciendum est, quod sicut Deus, statim post homini peccatum, signa quaedam, in ordine ad aeternam eius salutem, institui voluit, ita diabolus, quem rite Patres Dei simiam, eo quod illius operam deturpando imitari conatur, appellare consueverunt, sua etiam instituit mysteria vel symbola, ad incautos decipiendos atque in baratrum perditionis proiiciendos.

De hisce ritibus Patres passim loquuntur. Sic Tertullianus [1]: *Nationes extraneae... sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicuius, aut Mithrae; ipsos etiam deos suos lavationibus efferunt.* Alibi quoque dicit [2]: (Diaboli) *sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis aemulatur. Tingit et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos: expiationem delictorum de lavacro repromittit; et sic adhuc initiat Mithrae. Signat illic in frontibus milites suos: celebrat et panis oblationem, et imaginem resurrectionis inducit, et sub gladio redimit coronam.* Nec silendus Eusebius [3]: *Haec sunt sacrorum symbola, talus, pila, trochus, poma, turbo, speculum, vellus... Mysteriorum eleusiniorum hanc communem quasi tesseram fuisse ieiunavi, cinnum ebibi; accepi e cista,* etc.... Demum S. Augustinus [4]: *Daemon fallaciorum regnum exercet... et animas deceptas, illusasque praecipitat... pollicens etiam purgationem animae per eas quas* τελετάς *appellant, transfigurando se in angelum lucis per multiformem machinationem in signis et prodigiis mendacii.*

1. L. de Baptismo, c. 5. — 2. L. de Praescript., c. 40. — 3. L. II Praepar. Evang. c. 3. — 4. L. IV de Trin., c. 10.

10. — Modernorum rationalistarum error. — Quae cum ita sint, rationalistae analogiam perspicientes inter huiusmodi ethnicorum mysteria et christianae religionis sacramenta, commentati sunt priscos Christi discipulos eadem mutuatos fuisse atque a materiali labe purgatos, ex eis mysticos suos et aenigmaticos ritus constituisse: quae proinde aliud non essent, nisi symbolicae quaedam exercitationes, quibus mens humana usque ad entis universalis contemplationem valeat elevari. — At apologistae christiani ubertim demonstrarunt christianae religionis sacramenta nil, nisi elongatam quamdam materialem similitudinem, cum mysteriis paganorum habere commune; imo haec ab illis, utique deturpata et corrupta, usurpata eo modo fuisse, quo etiam nunc videmus religionis res et nomina ad profanos usus interdum sacrilege transferri: unde concludebat Tertullianus [1]: *Omnia adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt; operantibus aemulationem istam spiritibus erroris... Unde haec, oro vos, philosophis aut poetis tam consimilia? Non nisi de nostris sacramentis* [2]?

1. Apolog., c. 47. — 2. Vide ORIGEN., l. VI contra Celsum — Difficultates, quae ex hisce similitudinibus inter instituta Christianae religionis et ritus ethnicos moventur, ita egregie exponit de Broglie, in op. *Problèmes et conclusions de l'Histoire des Religions*, 4me éd. Paris, p. 246: *Il semble qu'en présence de ces ressemblances étranges, toutes les preuves du christianisme disparaissent, et que l'édifice de la foi soit prêt à s'écrouler comme une maison dont les fondations seraient minées. Toute différence paraît être effacée entre la vérité et l'erreur; toutes les religions paraissent être de la même étoffe, composées des mêmes éléments, et par conséquent de même valeur et de même autorité. Aussi les adversaires de la vérité du christianisme ne se donnent-ils pas la peine de faire un raisonnement pour tirer parti de ces ressemblances en faveur de leur thèse.* — Exposita difficultate, auctor egregie procedit ad illius futilitatem demonstrandam.

Articulus II. — *Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta.*

1. — Duplex modus consequendi gratiam. — Cum homo fuerit a Deo conditus in ordine supernaturali, ordinis autem supernaturalis forma sit gratia sanctificans, ideo etiam ante peccatum gratia indiguit ut esset Deo gratus. At duplex est modus consequendi gratiam, scilicet vel per aliqua signa sensibilia, quae sacramenta vocamus, vel spiritualiter et invisibiliter [1]. Igitur quaestio hic proponitur utrum homo in innocentiae statu indiguerit, sicut nunc, adminiculo sacramentorum ad gratiam consequendam, an eam omnino spiritualiter receperit.

2. — In statu innocentiae fuerunt sacramenta late accepta. — Porro sensus propositae quaestionis non est, utrum sacramenta in statu innocentiae utcumque extiterint, sed utrum tunc extiterint qualia nunc obtinent, scilicet per modum sacrarum caeremoniarum significantium gratiam sanctificantem. Constat enim quod, cum naturale sit ut homines ut in unum cultum Dei adunentur consortio visibilium sacramentorum seu signorum, ut ait S. Augustinus [2], ideo potuerunt tunc institui aliqua signa cultui Dei servientia. Sic quippe tenendum est primos parentes, ante lapsum, *sacrificium* Deo obtulisse, ut colligi potest ex eo quod non diu post lapsum eorum filii tali sacrificio offerendo assueti ostenduntur [3]; eo vel magis quod, ut Angelicus docet [4], sacrificii oblatio ad ius naturae pertinet.

Praeterea *matrimonium* institutum fuit ante peccatum [5], et quidem non solum ut est in officium naturae, sed etiam ut significabat aliquid futurum circa Christum

1. Ad 1m. — 2. L. XIX Contra Faust., c. 11, t. VIII, p. 319. — 3. Gen., IV, 3-5. — 4. 2 2ae, Quaest. LXXXV, art. 1. — 5. Gen., II, 23

et Ecclesiam [1], quemadmodum caetera quae in figura Christi praecesserunt. At non fuit proprie sacramentum, quia, ait Sylvius [2], non fuit institutum ut caeremonia sacra, neque ut significans gratiam contrahentibus conferendam [3].

Pariter de *ligno vitae* ait S. Augustinus quod *sacramento erat* [4]; non quasi haberet proprie rationem sacramenti, non erat enim signum rei sacrae quatenus est sanctificans homines, sed quia mysticum quid significabat, nempe sapientiam Dei, de qua scriptum est [5]: *Signum vitae est his qui apprehenderint eam.*

3. — In statu innocentiae sacramenta proprie dicta non fuerunt. — At sacramenta proprie accepta in illo statu defuisse, communis est Doctorum sententia, cum de eis Scriptura et Traditio sileant, et in rebus a Dei nutu pendentibus nil sine positiva revelatione asseri liceat. Advertendum autem hic est, valde breve fuisse tempus quo primaeva innocentia perduravit; at ex hoc perperam deduceretur, protoparentes sacramentis tunc non indiguisse, sed altius petenda est ratio.

4. — Sensus quaestionis. — Nimirum, quaestio proponitur de mera convenientia, et quidem inspectis sacramentis qualia nunc existunt, scilicet non solum quae supponunt peccatum et medicum salutis Christum eiusque gratiam tanquam medicinam, sed etiam quae sunt homini media ad divinam gratiam augendam. Revera, de ratione sacramenti nostri est *quod sit signum et remedium*, ut ait S. Thomas [6]; praeterea sacramentum ordinatur ad animae perfectionem.

1. Cf. 2 2ae, Quaest. II, art. 7. — 2. Hoc loco. — 3. Ad 3m. — 4. L. XIII de Civ. Dei, c. 20, t. VII, p. 341. — 5. Prov., III, 18. — 6. Supplem., Quaest. XLII, art. 2.

5. — PROP. — **In statu innocentiae, ante peccatum, sacramenta, qualia sunt apud nos, necessaria minime fuerunt.**

6. — **Prob.** — Sacramenta, qualia apud nos existunt, sunt spirituales quaedam medicinae ordinatae ad curanda vulnera peccatorum, et praeterea sunt signa ad animae perfectionem procurandam. Atqui in statu innocentiae non erant vulnera peccatorum curanda, nec conveniebat ut animae perfectio procuraretur per signa materialia. Ergo in statu innocentiae, ante peccatum, sacramenta, qualia apud nos sunt, necessaria non fuerunt; etenim si homo non peccasset, nec Christus incarnatus fuisset [1], nec consequenter sacramenta extitissent.

7. — **Explicatur.** — Imprimis, quod in innocentiae statu esse non deberent sacramenta quatenus sunt medicinae peccatorum, facile patet: non enim medicina necessaria est nisi agroto, iuxta illud [2]: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*

At difficilius intelligitur id quod dicitur non debuisse tunc hominem assequi perfectionem per sacramenta. Ad quod intelligendum sciendum est quod eadem erat natura hominis ante peccatum, quae est nunc post peccatum; atqui dictum est articulo praecedenti [3], quod sacramenta sunt necessaria homini secundum conditionem humanae naturae; ergo videretur quod etiam ante peccatum homo indiguerit sacramentis [4].

At considerandum est quod eadem quidem est natura hominis ante peccatum et post peccatum, at alia est naturae conditio. Nimirum, talis erat rectitudo status innocentiae, ut superiora inferioribus dominarentur et nullo modo dependerent ab eis; sicut enim mens suberat Deo,

1. 3, Quaest. I, art. 3. Tr. DE INCARNATIONE VERBI, vol. I, p. 27. — 2. Matth., IX, 12. — 3. N. 5, 1ª ratio, p. 60. — 4. Ad 2m.

ita menti suberant inferiores animae vires, corpus quoque ipsi animae suberat. Atqui contra hunc ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale quod sit in sacramentis: tunc enim anima uteretur rebus corporalibus non tam per modum dominae eas in sui utilitatem vocantis, quam per modum ancillae suum ab eis earumque regulatione spirituale bonum mendicantis [1]. Quocirca admitti nequit id quod habent aliqui auctores [2], nempe non inconvenienter potuisse tunc aliqua sacramenta institui, ad effectum devotionis excitandum et ad gratiae augmentum.

Post peccatum vero anima nostra, etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem [3], ideoque sacramenta tunc convenienter instituta sunt, ad subveniendum infirmitati naturae nostrae [4].

8. — **Scholia.** — I. Quo perfectior est animae nostrae status, eo spiritualius est medium quo ad cognitionem Dei rerumque divinarum pervenit. Hinc est quod primus homo cognovit Deum altiori cognitione quam nos, scilicet per intelligibiles effectus, a quorum lucida perceptione non praepediebatur per occupationem et distractionem sensuum [5]. Pariter, ut perveniret in cognitionem et amorem vitae supernaturalis, non indiguit homo directione et norma rerum sensibilium; sed spirituales effectus, quos in se et in aliis compleri videbat, illum recta ad supernaturalia amplectenda ducebant.

II. Pariter, quantum ad prolem, haec fuisset generata in gratia, ut docet S. Thomas [6], quam gratiam comitantur dona intellectus perfectiva. Atqui, habitus, ut observat

1. Al. Ad Paquet, h. l., p. 27. — 2. Inter quos Suarez, Toletus necnon Franc. Sylvius, in h. l. — 3. Ad 2m. — 4. Cf. Billuart, Dissert. II, art. 2. — 5. Cf. Tr. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, Quaest. XCIV, art. 1, n. 5, p. 153. — 6. Ibid., Quaest. C, art. 1, n. 2, p. 260.

Caietanus [1], eo proportionali modo in nobis augentur quo nascuntur. Ergo homo tunc absque sacramentorum ope, solo Dei influxu et sua libera cooperatione, supernaturalem perfectionem esset consecutus.

Articulus III. — *Utrum post peccatum, ante Christum, sacramenta debuerint esse.*

1. — Ratio articuli. — Comperto quod in statu iustitiae originalis sacramenta esse non debuerint, id impediente perfectione illius status, nostram prosequimur investigationem, considerato homine in statu lapsus ante Christum, qui tamen status duo distincta temporis intervalla complectitur, in quorum priori viguit lex, ut dicitur, naturae, in altero vero lex scripta seu mosaica, licet lex naturae viguerit etiam tempore legis scriptae, pro iis scilicet qui erant extra populum iudaicum. Porro, comprehendendo simul tempus legis naturae et tempus legis scriptae, dicimus

2. — PROP. — Necessarium fuit post peccatum, ante Christi adventum, quaedam sacramenta institui.

Haec propositio, quod ad factum attinet, tanquam de fide tenenda est, cum in Conciliis Florentino [2] et Tridentino [3], expresse asseratur sacramenta nostra differre a *sacramentis antiquae Legis.*

3. — Prob. — Nullus sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum, *quam proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae, propter remissionem praecedentium de-*

1. In h. art. — 2. Decret. pro Armenis. D.-B., n. 695. Et quidem hic dicuntur sacramenta nostra ab antiquis *multum* differre. — 3. Sess. VII, can. 2, D.-B., n. 845.

lictorum,... ut sit ipse iustus et iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi [1]. Atqui consentaneum fuit humanae naturae, ab initio, ut homo fidem suam de futuro Salvatoris adventu signis visibilibus protestaretur. Ergo oportuit, ad hoc ut genus humanum sanctificaretur per Christum, quod haberet quaedam signa, quibus protestaretur Christum venturum, suae sanctificationis auctorem. Porro, huiusmodi signa dicuntur sacramenta, quae ad humanam salutem necessaria sunt, in quantum sunt quaedam velut tesserae rerum invisibilium, quibus homo sanctificatur. Hinc S. Augustinus dicit [2] quod *prima sacramenta, quae celebrabantur et observabantur ex lege, praenuntiativa erant Christi venturi.*

4. — **Difficultas.** — Effectus non praecedit causam. Atqui passio Christi comparatur ad sacramenta sicut causa ad effectum : nam passio Christi applicatur hominibus per sacramenta. Ergo sacramenta non debuerunt esse ante Christi adventum.

Resp. *Dist. mai.:* effectus non praecedit causam efficientem, *conc.;* finalem, *nego. Dist. min.*: passio Christi comparatur ad sacramenta veteris Legis tanquam causa finalis, *conc.;* tanquam causa efficiens, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Causa finalis non praecedit tempore suum effectum, sed solum in intentione agentis; et quia passio Christi est causa finalis veterum sacramentorum, quae scilicet ad ipsam significandam sunt instituta, ideo non est inconveniens aliqua sacramenta viguisse ante Christi passionem [3].

5. — **Lex naturae et lex scripta.** — Porro, cum praedicta propositio aeque respiciat tempus legis naturae et legis scriptae, videndum nunc est de differentia sacramentorum sub uno et altero ordine. At, ne fiat aequivo-

1. Rom., III, 25, 26. — 2. L. XIX contra Faust., c. 13 t. VIII, p. 320. — 3. Ad 1m.

catio, statim advertendum monemus, non ideo legem naturae dici, quasi homo tunc in statu mere naturali versaretur, cum omnis homo, eo ipso quod ex Adam oritur, elevatus maneat in ordine supernaturali; sed nec fides in Christum venturum tunc defuit, cum una semper et eadem fides extiterit iustificans homines per promissum Messiam.

Igitur differentia accipienda est, ex una parte, secundum intensionem et remissionem peccati; ex altera vero parte, secundum expressiorem doctrinam de Christo venturo. Nimirum, per incrementa temporum, coepit hinc quidem peccatum in homine magis magisque dominari; illinc vero necesse fuit cognitionem fidei apertius explicari. Enimvero, labentibus saeculis, ratio hominis in tantum per peccatum obtenebrata mansit, ut amplius ei non sufficerent ad recte vivendum praecepta legis naturae; sed necesse fuit determinari praecepta in lege scripta. Porro, simul cum hisce praeceptis, necesse fuit determinari quaedam fidei sacramenta, quibus explicitior fieret fides in futurum Redemptorem; unde oportuit per incrementa temporum magis explicari doctrinam fidei, secundum illud S. Gregorii [1]: *Per incrementa temporum crevit divinae cognitionis augmentum;* qui etiam ait [2]: *Urgente mundi fine, superna scientia proficit, et largius cum tempore excrescit.*

6. — **Differentia inter sacramenta legis naturae et sacramenta legis mosaicae.** — Ex dictis patet mutatum mansisse statum humani generis post lapsum Adae: quia posteriori tempore intensius fuit peccatum et praeterea uberior habita est de Christo venturo cognitio. Consequenter sacramenta quae fuerunt sub lege naturae comparantur ad sacramenta legis mosaicae sicut indeterminatum ad determinatum; quia scilicet antea non fuit

1. Homil. XVI sup. Ezech. l. II, quoad sensum, Venetiis 1571, t. II, p. 765. — 2. L. IX Moral., c. 6, t. I, p. 216.

determinate praefixum homini quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem Moysi datam; quod tunc necessarium fuit et propter obtenebrationem legis naturalis, et ut esset determinatior fidei significatio [1].

7. — **Quomodo sacramenta legis naturae instituta fuerint.** — Observandum tamen est, id quod dicitur, sacramenta legis naturae indeterminata fuisse, intelligi debere, attenta legislatione positiva: nam sicut in hoc statu lex ipsa instituta et promulgata fuit, non per scripturam aut per aliquam externam legislationem omnibus publice propositam, sed per modum naturae, ita etiam sacramentum debuit institui. Quapropter, fuerunt ante legem quaedam caeremoniae, ut docet Angelicus [2], sed non per aliquam legislationem institutae, quod causae est cur earum in Sacra Scriptura non fiat mentio. Fuerunt ergo aliquae caeremoniae externae, diversae quidem secundum diversitatem gentium, per divinam inspirationem institutae, quae tamen inspiratio non singulis facta est, sed praecipuis quibusdam viris per quos aliis innotesceret, sicut innotuit facultas polygamiae, ut arbitratur Sylvius [3]. — Ad rem Angelicus Doctor [4]: *Quia etiam ante legem fuerunt quidam viri praecipui prophetico spiritu pollentes, credendum est quod ex instinctu divino, quasi ex quadam privata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui et conveniens esset interiori cultui, et etiam congrueret ad significandum Christi mysteria quae figurabantur etiam per alia eorum gesta.*

8. — **Quaestio I.** — *Utrum parvulis, sub lege naturae, fuerit aliquod sacramentum ordinatum ad deletionem peccati originalis?*

1. Ad 2m. — 2. 1 2ae, Quaest. CIII, art. 1. — 3. in h. l. — 4. Loco prox. cit., art. 1.

Resp. Affirmative : scilicet aliquod extitit sub lege naturae remedium, et quidem sub ratione sacramenti, pro parvulis contra peccatum originale : quod dicitur contra nonnullos theologos, ut S. Bonaventuram, Vasquez, aliosque, qui licet admiserint remedium tunc institutum pro parvulis contra peccatum originale, huic tamen remedio veram sacramenti rationem denegaverunt.

Equidem non videtur bonitati divinae consonum, omnes tunc morientes parvulos aeternae reprobationi destinatos fuisse; unde ait Augustinus [1] : *Non credendum est, et ante datam circumcisionem, famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis : quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.* Idipsum communiter docent S. Gregorius Magnus [2], S. Bernardus [3], Ven. Beda [4], S. Bonaventura [5] et generaliter Doctores Scholastici, post S. Thomam [6].

Quod autem huiusmodi remedium veri sacramenti rationem induerit, inferri potest ex suavi Dei providentia, ordinante ut elemento sensibili, cuius Deus ipse fuerat institutor vel inspirator, parvuli illi et mundarentur a peccato originali, et eorum societati adscriberentur, qui ad vitam aeternam, per praevisa Christi merita destinabantur. — Ubi sedulo advertendum est, sacramentum huiusmodi, sicut postea circumcisionem, fuisse de se protestativum fidei in Christum : unde, concludit S. Thomas [7], *informitas fidei in parente non impediebat effectum salutis in filio, impediebat autem in ipso.*

9. — Scholion. — Probabile autem est idem remedium valuisse et pro parvulis iudaicis in periculo mortis

1. L. V Contra Iulian., c. 11, n. 45, t. X, p. 651 et sqq. — 2. L. IV, Moral., c. 3, t. I, p. 66. — 3. Epist. 77, Venetiis, 1568, t. II, p. 37. — 4. In caput 2 Lucae, Paris, 1862, ed. Migne, t. III, p. 336. — 5. In 4, Dist. I, t. IV, p. 32 et sqq. — 6. 3. Quaest. LXX, art. 4, ad 2^{m}. — 7. 4, Dist. I, Quaest. I, art. 6, sol. I, ad 3^{m}.

existentibus, scilicet ante diem octavum quo circumcidi debebant, et pro puellis, tam ante quam post latam circumcisionis legem. — Quale vero fuerit remedium illud, non facile determinari valet: tuto tamen teneri potest, fuisse signum aliquod exterius, aut aliquam actionem protestativam fidei in Christum venturum: naturale enim est homini uti signis visibilibus, et parvuli, dum iustificabantur, adiungebantur Ecclesiae fidelium, quae semper visibilis fuit.

10. — Solvitur tacita difficultas. — Quod autem nonnulli ex Patribus, ut S. Gregorius, S. Bernardus [1], et ipsemet S. Thomas [2], habent, nempe parvulis solam fidem parentum profuisse et suffecisse, intelligendum est, non excluso quocumque signo fidei protestativo, sed signo per legislationem aliquam formaliter instituto et determinato, aut signo quod pro adultis adhibebatur, ut puta, sacrificio quod adulti offerre tenebantur [3]. Unde concludit S. Thomas [4]: *Probabile est, quod parentes fideles pro parvulis natis et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei; sicut adulti pro seipsis preces et sacrificia offerebant.* Quocirca nihil deerat quominus huiusmodi signum sacramenti rationem indueret.

11. — Oblatio facta a Melchisedech. — Praeterea, tanquam sacramentum legis naturae agnoscenda est *oblatio facta a Melchisedech* in pane et vino, ut habetur in Genesi [5], vi cuius sacerdotium Christi praedicitur esse futurum secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron [6]. — Ubi scite advertit S. Thomas [7],

1. Locis cit. — 2. Loco prox. cit., sol. II. — 3. Potest etiam dici S. Thomam sententiam mutasse. — 4. 3, Quaest. LXX, art. 4, ad 2m. 5. XIV, 18. — 6. Ps. CIX, 4; Hebr., VII, 11. — 7. Hic, ad 3m.

quod sacramentum illud, utique si attendatur ad materiam, magis assimilatur sacramento et sacrificio nostrae Legis quod oblatione panis et vini perficitur; si autem attendatur ad rem significatam per sacramentum, scilicet ad passionem Christi, sacramenta Legis mosaicae magis assimilantur nostris, ut patet de agno paschali et aliis similibus. Sapienter autem sacrificium Melchisedech praemissum est sacrificiis legalibus, ad evitandum errorem eorum qui facile putassent sacrificium nostrum non esse nisi continuationem sacrificii Melchisedech, si illud huic immediate successisset.

12. — **Signum poenitentiale in lege naturae.** — Praeter ista duo sacramenta, scilicet remedium contra peccatum originale pro parvulis, et oblationem Melchisedech, S. Thomas [1] agnoscit etiam pro lege naturae *poenitentiam*, seu signum aliquod poenitentiale, quo homines tunc utebantur contra peccata actualia; qui etiam dicit [2], quod *oblationes et decimae erant tam in lege naturae, quam in lege Moysi ordinatae... etiam in figuram; et ideo erant sacramenta.*

13. — **Quaestio II.** — *Quaenam fuerunt sacramenta sub Lege Moysi?*

Resp. Sub Lege Moysi, sequentia tanquam sacramenta sunt habita: circumcisio; esus agni paschalis; consecratio sacerdotum; oblatio victimarum et esus panum propositionis; purificationes et expiationes variae; ablutio manuum et pedum et rasio pilorum in sacerdotibus.

Enumerationem hanc claro atque synthetico ordine digestam ita exhibet Angelicus [3]: *Sacramenta proprie dicuntur illa, quae adhibebantur Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, per quam scilicet deputabantur*

1. 4. Dist. I, Quaest. I, art. 2, sol. 3 et ad 2m. — 2. 3, Quaest. LXV, art. 1, ad 7m. — 3. 1 2ae, Quaest. art. 5.

quodammodo ad cultum Dei: cultus autem Dei generali quidem modo pertinebat ad totum populum, sed speciali modo pertinebat ad sacerdotes et levitas qui erant ministri cultus divini; et ideo in istis sacramentis veteris Legis quaedam pertinebant communiter ad totum populum, quaedam autem specialiter ad ministros: et circa utrosque tria erant necessaria. Quorum primum *est institutio in statu colendi Deum: et haec quidem institutio communiter quantum ad omnes fiebat per circumcisionem, sine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium; quantum vero ad sacerdotes, per sacerdotum consecrationem.* Secundo, *requirebatur usus eorum, quae pertinent ad divinum cultum: et sic quantum ad populum erat esus paschalis convivii, ad quem nullus incircumcisus admittebatur, ut patet Exod. 12.; et quantum ad sacerdotes oblatio victimarum, et esus panum propositionis, et aliorum quae erant sacerdotum usibus deputata.* Tertio, *requirebatur remotio eorum, per quae aliqui impediebantur a cultu divino, scilicet immunditiarum: et sic quantum ad populum erant institutae quaedam purificationes a quibusdam exterioribus immunditiis, et etiam expiationes a peccatis; quantum vero ad sacerdotes et levitas erat instituta ablutio manuum et pedum, et rasio pilorum. Et haec omnia habebant rationabiles causas, et litterales, secundum quod ordinabantur ad cultum Dei pro tempore illo, et figurales secundum quod ordinabantur ad figurandum Christum.*

14. — Analogia inter sacramenta veteris et novae Legis. — Pulcre S. Thomas [1], momenta indicat analogiae inter sacramenta veteris et novae Legis. — Nimirum, quaedam sacramenta novae Legis habuerunt in veteri Lege sacramenta figuralia sibi correspondentia: nam cir-

1. Ibid., ad 3m.

cumcisioni respondet baptismus, qui est fidei sacramentum; convivio agni paschalis respondet in nova Lege sacramentum Eucharistiae; omnibus purificationibus veteris Legis respondet in nova Lege sacramentum poenitentiae; consecrationi pontificis necnon sacerdotum respondet sacramentum ordinis. Sacramento autem confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiae, non potest respondere in veteri Lege aliquod sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis; similiter nec sacramento extremae unctionis, quod est quaedam immediata praeparatio ad introitum gloriae, cuius aditus nondum patebat in veteri Lege, pretio nondum soluto. Denique matrimonium fuit quidem in veteri Lege prout erat in officium naturae, non autem prout est sacramentum coniunctionis Christi et Ecclesiae quae nondum erat facta; unde et in veteri Lege dabatur libellus repudii, quod est contra sacramenti rationem [1].

15. — Sacramenta veteris Legis ordinabantur ad gratiam ex opere operato causandam moraliter. — Relate ad vim sanctificativam sacramentorum sive legis naturae, sive legis mosaicae, sedulo retinendum est quod alibi, ex S. Thoma, tradidimus [2], ea scilicet ordinata fuisse ad gratiam causandam ex opere operato, etsi non physice vel instrumentaliter, sed moraliter, non autem ex opere operantis tantum. Quod S. Thomas ita exponit [3]: *Fides aliena non iuvabat in quantum erat actus personae, sed ex parte illa qua respiciebat obiectum suum, scilicet Christum, quod erat medicina totius naturae; in quo habebat quamdam similitudinem cum sacramentis nostris, inquantum iustificabat ex obiecto, quasi ex opere operato, non autem ex opere operante.*

1. S. Thom., l. cit., ad litt. — 2. Cf. tr. DE INCARN. VERBI, Quaestio XIII, art. 2, n. 14; Tr. DE GRATIA, Quaest. CXII. art. 1, n. 15. — 3. 4, Dist. I, Quaest. I, art. 6, sol. I, ad 2[m].

Quod sacramenta veteris Legis ordinarentur ad gratiam utique ex opere operato, etsi non physice vel instrumentaliter, causandam, probant, praeter ea quae alibi ubertim adduximus [1], etiam sequentia S. Pauli verba [2]: *Si sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* Argumentum scilicet a fortiori, quod hic instituit S. Paulus, nullimode valeret, nisi etiam sanguinis aspersio, in veteri Lege, quae potest reduci ad ordinem sacramentorum mosaicorum, suum effectum ex opere operato produxisset.

16. — Advertendum. — Notandum vero, quod si quando dixerit S. Doctor, circumcisionem non contulisse gratiam ex opere operato [3], intelligendum hoc est physice, non moraliter: scilicet hoc nomen, *ex opere operato*, sumi potest, aliquando prout dividitur contra ex opere operantis, aliquando vero prout dividitur contra ex opere operato moraliter [4].

ARTICULUS IV. — *Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam dictum sit hanc esse nostrae naturae conditionem, ut per aliqua signa sensibilia deveniamus in cognitionem et amorem rerum spiritualium, adventus autem Christi hanc conditionem non sustulerit, ideo clarum est, etiam post Christum, de-

1. Locis modo indicatis. — 2. Hebr., IX, 13, 14. — 3. C. Comm. in Ep. ad Hebr., c. VII, lect. 3. — 4. De hac re iterum agetur quaest. seq., art. 6, et Append. II.

buisse aliqua sacramenta esse, quae aliud non sint nisi signa sensibilia gratiae ab eodem nobis procuratae. Quocirca, potius quam probare necessitatem sacramentorum post Christi adventum, S. Thomas hic intendit assignare differentiam inter sacramenta nostra et sacramenta mosaica.

2. — Status Legis novae. — Revera, quod status Legis novae existentiam sacramentorum non excludat, patet ex hoc quod, quamdiu sumus in hoc mundo, tamdiu *per fidem... ambulamus, et non per speciem* [1], tamdiu etiam *per speculum in aenigmate* cognoscimus [2]; et ideo quamquam *gratia et veritas per Iesum Christum facta est* [3], tamen ad hanc per sacramenta nobis deveniendum est. Et huius ratio est, quia quamvis figurae veteris Legis sint iam adimpletae in novo Foedere, tamen hoc novum Foedus ordinatur et ipsum ad statum gloriae, in quo solum omnis veritas manifestabitur nude et perfecte, et tunc evacuabuntur omnia sacramenta; quia adveniente veritate, qualis in caelo splendet, cessare debet omnis umbra et figura [4].

3. — PROP. — Oportet sacramenta novae Legis alia esse a sacramentis veteris Legis.

4. — Prob. — Oportet alia signa esse quibus praenuntiabantur futura circa Christum, a signis quibus demonstrantur ea quae in ipso Christo praecesserunt. Atqui sacramentis veteris Legis praenuntiabantur futura circa Christum, et sacramentis novae Legis demonstrantur ea quae in ipso praecesserunt. Ergo alia debent esse sacramenta novae Legis a sacramentis veteris Legis.

5. — Explicatur. — Oportet ut aliis signis significentur futura, praeterita et praesentia; nam, ut ait S. Au-

1. 2 Cor., V, 7. — 2. 1 Cor., XIII, 12. — 3. Io., I, 17. — 4. Ad 1m.

gustinus [1], *eadem res aliter enuntiatur facienda, aliter facta;* sicut ipsa verba PASSURUS *et* PASSUS... *non similiter sonant.* Atqui sacramenta sunt quaedam signa protestantia fidem qua iustificatur homo. Ergo sicut antiqui Patres salvati sunt per fidem Christi venturi, operantibus congruis eorum sacramentis, ita et nos salvamur per fidem Christi iam nati et passi, mediantibus novis et excellentioribus sacramentis.

6. — **Quaestio** — *In quonam sacramenta novae Legis excellunt sacramentis veteris Legis?*

Resp. Sacramenta nostra, praecise quia sunt signa fidei in Christum iam natum et passum, continent et causant instrumentaliter gratiam quam significant: quod non praestabant sacramenta veteris Legis, quae propterea S. Paulus vocat *egena et infirma elementa* [2]: egena, quia gratiam non continebant; infirma, quia illam non causabant. Quapropter Apostolus dicit quod utentes illis sacramentis, sub elementis mundi Deo serviebant [3]: *Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes:* erant enim illa sacramenta nihil aliud quam elementa huius mundi; nunc autem temporis plenitudine adveniente, iam non sumus parvuli; unde non debemus Deo servire sub talibus elementis, sed sub novis et perfectioribus sacramentis, quae continent et causant gratiam quam significant [4]. Quocirca S. Augustinus dicit [5] quod sacramenta veteris Legis *sunt ablata, quia impleta; ...et alia sunt instituta, virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.*

7. — **Difficultas.** — In Sacra Scriptura legimus [6], quod apud Deum *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Atqui diversitas successiva sacramen-

1. L. XIX contra Faust., c. 16, col. 321. — 2. Gal., IV, 9. — 3. Gal., IV, 3. — 4. Ad 2m. — 5. L XIX contra Faust., c. 13, col. 320. — 6. Iac., I, 17.

torum involvit mutationem divinae voluntatis. Ergo post Christum non debuerunt alia sacramenta institui.

Resp. *Dist. mai.*: in ipso Deo, *conc.;* in iis quae, aeternaliter praevisa, subduntur, secundum temporum congruentias, actui divinae voluntatis, *nego. Dist. min.:* in ipsa divina voluntate, *nego;* in rebus divinae voluntatis actui subiectis secundum congruentias temporum, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Sicut paterfamilias non ex hoc monstratur mutabilem habere voluntatem quod diversa praecepta familiae suae pro temporum diversitate proponit, non eadem praecipiens hieme et aestate; ita non est signum alicuius mutationis circa Deum, quod alia sacramenta instituerit post Christi adventum et alia tempore Legis: quia illa fuerunt congrua gratiae praefigurandae, haec autem sunt congrua gratiae praesentialiter demonstrandae [1].

8. — **Scholion.** — Considerationem de sacramentorum generali natura et officio relate ad generis humani sanctificationem, quae quidem consideratio duas priores huius tractatus quaestiones occupat, opportune claudit S. Thomas praesenti quaestione de necessitate sacramentorum novae Legis, ut inde plana sternatur via ad eorum efficaciam investigandam, quod in proxima quaestione peragetur, quando videlicet horum sacramentorum singularis excellentia ostendetur, simulque mirabilis modus enucleabitur, quo gratiam sanctificantem in anima producunt [2].

1. Ad 3m. — 2. Interim diligens theologiae cultor cum fructu legere poterit P. G. L. Monsabré, Exposition du Dogme catholique. Conférence LXI, *La nature des sacrements.*

QUAESTIO TERTIA
(LXII)

DE PRINCIPALI EFFECTU SACRAMENTORUM QUI EST GRATIA

Prologus.

1. — Ratio huius quaestionis. — Cum iam de natura sacramenti in communi et de principiis eius constitutivis necnon de illius necessitate relate ad diversos hominis status actum fuerit, sequitur ut, iuxta praemissa, investigatio instituatur de illius effectu, qui duplex ponitur: alius scilicet principalis, qui est gratia, alius vero secundarius, qui est character: et quidem, in hac quaestione de priori, in sequenti vero quaestione de posteriori effectu tractabitur. — Ubi statim notamus, quod ad priorem quaestionem pertinet, nos potissime respicere sacramenta novae Legis, licet aliquid etiam de sacramentis veteris Legis sit obiter disserendum.

2. — Sacramenta novae Legis sunt media ad gratiam habendam. — At vero primo loco recolere debemus gratiam sanctificantem seu habitualem, quam potissime hic respicimus, proprie esse *divinam qualitatem, in anima inhaerentem, ac veluti splendorem quemdam et lucem, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulcriores et splendidiores reddit* [1]. Porro, in comperto esse apud omnes debet, sacramenta novae Legis, quidquid sit de sacramentis veteris Legis, gratiam quodammodo causare: sic quippe Concilium Tridentinum, pleniorem de iustificatione doctrinam tradere volens, testabatur se pertractandum su-

1. Catechismus Rom., P. II, c. II, n. 59. Cf. Tract. DE GRATIA Quaest. CX, art. 2, p. 111.

scipere de sanctissimis Ecclesiae sacramentis, *per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur* [1]. Unde et hanc veritatem sanxit [2]: *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, A. S.* Similiter, in Codice Iuris canonici, legitur [3]: *Cum omnia sacramenta novae Legis, a Christo Domino nostro instituta, sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est.*

3. — Quo modo sacramenta novae Legis conferunt gratiam. — Quae cum ita de fide constent, gravissima hic atque implexa proponitur dubitatio, quo modo, quave ratione novae Legis sacramenta causa sint gratiae. In quo solvendo, duae sententiae ex adverso consistere inveniuntur: alii nimirum, causalitatem vere *physicam* agnoscunt, alii vero causalitatem tantummodo *moralem*, quae quidem abusive causalitas dicitur, cum potius vocanda foret conditio aut occasio. Et ut statim ista summi momenti differentia inducto exemplo probe intelligatur, prius causandi genus illustrari potest sono vocis articulatae, quae, cum profertur, physice, id est instrumentaliter, conceptum in audientis mente intelligibilem suscitat; ex adverso autem videmus mensarium, exhibita syngrapha, pecuniae summam inibi designatam, ultro solvere. Ubi statim prae mente tenenda est animadversio S. Thomae, qui de huiusmodi morali causalitate, sub nomine ordinationis vel pactionis, loquens, ait quod *nihil dat* (sacramentis) *de ratione causae, sed solum de ratione signi* [4].

4. — Ordo quaestionis. — Ut autem hic ordinate procedatur, gratiae productio, mediantibus sacramentis

1. Sess. VII, Prooem. — 2. Ibid., Can. VII. — 3. Can. 731. — 4. 4, Dist. I. Quaest. I, a. 4, quaestiunc. V, sol. I.

novae Legis, ad examen revocari debebit, consideratis hisce sacramentis in se et absolute (1-5), necnon relate ad veteris Legis sacramenta (6). Prior autem investigatio duplici postulat quaestione enucleari, secundum quod considerabatur virtus operativa sacramenti novae Legis, quantum ad effectum quem natum est producere (1-4), et quantum ad virtutem ex qua tantam mutuatur efficaciam, quae virtus est beatissima Domini nostri passio (5). Rursus, gratiae productio mediantibus novae Legis sacramentis considerari potest generaliter (1-2), et specialiter (3-4). Generaliter quidem, ut sciatur, primo, utrum et qua ratione ista sacramenta gratiam sic possint producere (1), et qualis sit ista gratia quam huiusmodi sacramenta producunt (2); specialiter vero, ut cognoscatur quo pacto gratia in eisdem sit (3), et qualiter in eis operetur (4).



Hinc sex quaeruntur in hac quaestione.

Primo. Utrum sacramenta novae Legis sint causa gratiae.

Secundo. Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.

Tertio. Utrum sacramenta contineant gratiam.

Quarto. Utrum sit in eis aliqua virtus ad causandum gratiam.

Quinto. Utrum talis virtus in sacramentis derivetur a passione Christi.

Sexto. Utrum sacramenta veteris Legis gratiam causarent.

Articulus I. — *Utrum sacramenta sint causa gratiae.*

1. — In sacramentis novae Legis transcenditur ratio signi. — Cum in rebus ad fidei dogmata pertinentibus non debeamus procedere a priori, sed ex iis quae in revelatione continentur argumentum accipere ad nostras conclusiones conficiendas, ideo questionem utrum sacramenta novae Legis, de quibus hic proprie agitur, sint causa gratiae resolvere volentes, prius ad dicta Scripturarum debemus recurrere. In quibus hoc manifeste invenitur, quod per sacramenta novae Legis homo incorporatur Christo: dicit enim Apostolus, loquens de baptismo [1]: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis;* atqui homo non efficitur membrum Christi, nisi per gratiam. Idipsum et in traditione expresse continetur: dicit enim S. Augustinus [2], quod *aquą baptismalis corpus tangit et cor abluit;* atqui cor non abluitur, nisi per gratiam. Ergo sacramentum baptismatis quodammodo causat gratiam, et pari ratione alia Ecclesiae

1. Gal., III, 27. — 2. Tract. LXXX in Io., t. III, part. II, p. 703, n. 3.

sacramenta, quae proinde inveniuntur transcendere rationem meri signi, seu, ut ait idem S. Augustinus [1], *sacramenta novi Testamenti dant salutem* [2].

Quae cum ita constiterint, dubium modo proponitur, qua formali ratione ista novae Legis sacramenta signi rationem transcendant, seu gratiam causent.

2. — Sententia reprobanda. — Ad quod solvendum, quidam dicunt quod sacramenta non sunt causa gratiae aliquid operando, sed quia Deus, sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur: et ponunt exemplum de illo qui afferens denarium plumbeum, aut chirographum, accipit centum libras ex regis ordinatione; non quod denarius ille aliquid operetur ad habendam praedictae pecuniae quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas regis. Sic S. Bernardus dicit [3]: *Sicut investitur canonicus per librum, abbas per baculum, episcopus per baculum et annulum simul, sicut, inquam, in huiusmodi rebus est, sic divisiones gratiarum diversis sunt traditae sacramentis.*

Sed, ait Angelicus, si quis recte consideret, iste modus non transcendit rationem signi; nam denarius plumbeus aut chirographum non est nisi quoddam signum regiae ordinationis de hoc quod pecunia recipiatur ab illo; similiter liber est quoddam signum, quo designatur traditio canonicatus. Secundum hoc igitur, ad quod pertinet occasionalismi labes [4], sacramenta novae Legis nihil plus essent quam signa gratiae, cum tamen ex multis Sanc-

1. In Psalm. LXXIII, t. IV, p. 769, n. 2. — 2. Cf. S. Leo magn., Serm. 4 et 5 de Nativ., Paris., 1641, t. unic., p. 1799. S. Io. Chrysostom., Catech. I ad Illumin. Paris., 1837, t. XX, p. 369, et Homil. XII in S. Matth. t. V, p. 380; S. Hieronym., in cap. I. Vers. 16 Isa. t. IV, p. 22, Venetiis 1767; auctor l. de Sacram., inter opp. S. Ambros., l. III t. IV, p. 474, Mediolan. 1879, n. 2; S. Basil., in orat. de Bapt., t. I, p. 438, Paris, 1638, — 3. Serm. de *Coena Domini*, de Baptismo, etc. t. I, p. 60, Veneiis, 1568. — 4. Hoc infra ostendetur, n. 17, p. 112.

torum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta novae Legis non solum significant, sed etiam causant gratiam.

3. — Sententia Novatorum. — Porro, quod modo dictum est, salva fide inter theologos agitatur; at gravius est quod Novatores, hac de re, traditione relicta, confinxerunt. Quorum antesignanus, Lutherus, haec habet[1]: *Error est, sacramenta novae Legis differre a sacramentis veteris Legis penes efficaciam significationis, id est, quod nostra efficaciter significent, faciendo quod figurant, non illa.* Haud dissimiliter loquitur Calvinus[2]: *Hoc dogma scholasticum, quo tam longum discrimen inter veteris ac novae Legis sacramenta notatur, perinde ac si illa non aliud quam Dei gratiam adumbraverint, haec vero praesentem conferant, penitus explodendum est.*

4. — Positio ecclesiae anglicanae. — Ista vero Novatorum dogmata de virtute sacramentorum novae Legis, ecclesia anglicana plus aequo amplexa est, cuius fides in sequenti implexo nimis atque dubiae significationis articulo continetur[3]: *Sacramenta a Christo instituta non tantum sunt notae professionis Christianorum, sed certa quaedam testimonia, et efficacia signa gratiae atque bonae in nos voluntatis Dei, per quae invisibiliter ipse in nobis operatur, nostramque fidem in se, non solum excitat, verum etiam confirmat.* — Sane, reprobandus est articulus iste, in hoc quod non aliam sacramentis efficaciam attribuere videtur, nisi fidem excitandi vel confirmandi: sacramenta enim causa sunt iustificationis nostrae, quae non in nuda fide consistit, sed in gratia Dei in nobis intrinsecus habitante.

1. L. de Capt. Babyl., cap. de Bapt. — 2. L. IV Instit., c. XIV. § 23. — 3. The thirty-nine Articles of the Church of England, art. XXV. Vide de hoc Edgar C. S. Gibson, D. D, *The thirty-nine Articles*, etc., London, 1902, pp. 585, seq.

5. — **Causa principalis et causa instrumentalis.** – Porro, ad recte intelligendum qualiter sacramenta novae Legis causant gratiam, necesse est distinguere duplicem causam agentem: alteram scilicet principalem, alteram instrumentalem. Et quidem, causa principalis operatur per virtutem suae formae cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit; causa vero instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum quo movetur a principali agente; unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quae est in mente artificis.

Quod ut clarius pateat, advertendum est quod instrumentum duas habet actiones: unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quae competit sibi secundum formam propriam, sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis: non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim securis facit lectum [1]. — His positis, dicimus

6. — PROP. — α) **Causare gratiam per modum causae principalis, solius Dei est**; β) **per modum autem instrumenti, competit sacramentis novae Legis.**

7. — **Prob. 1ª Pars.** — Solius Dei est dare participatam similitudinem divinae naturae. Atqui gratia nihil aliud est quam quaedam participata similitudo divinae naturae, secundum illud [2]: *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Ergo causare gratiam per modum causae principalis solius Dei est, iuxta illud [3]: *Gratiam et gloriam dabit Dominus* [4].

1. Ad 1m. — 2. 2 Petr., I, 4. — 3. Ps. LXXXIII, 12. — 4. Ad 3m.

8. — **Prob. 2ª Pars.** — Sacramenta novae Legis adhibentur ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam : unde S. Augustinus dicit [1] : *Quid enim sunt aliud quaeque corporalia sacramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia et temporalia ? Deus enim aeternus est, nec tamen aqua et omnis illa actio corporalis, quae agitur cum baptizamus, et fit, et transit, aeterna est : ubi rursus etiam illae syllabae celeriter sonantes et transeuntes, cum dicitur* DEUS, *nisi dicantur, non consecratur. Haec omnia fiunt et transeunt, sonant et transeunt ; virtus tamen, quae per ista operatur, iugiter manet, et donum spiritale, quod per ista insinuatur, aeternum est.* Atqui hoc proprie dicitur instrumentum, per quod quis operatur. Ergo sacramenta novae Legis gratiam causant per modum instrumenti, unde etiam dicitur [2] : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.*

9. — **Corollarium.** — Igitur, sacramenta corporalia novae Legis, per propriam operationem quam exercent circa corpus quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina circa animam ; sicut aqua baptismi, abluendo corpus secundum propriam virtutem, in quantum est instrumentum virtutis divinae, abluit animam. Nec hoc difficile reputari debet parumper consideranti quod ex anima et corpore fit una substantia completa in ratione naturae ; unde aqua baptismatis tangendo corpus abluit cor. Quocirca in Concilio Tridentino [3] dicitur quod iustificationis nostrae causa *instrumentalis* est *sacramentum baptismi ;* et antea, a Leone X damnata fuerat haec Lutheri propositio : *Haeretica sententia est, sed usitata, sacramenta novae Legis iustificantem gratiam illis dare qui non ponunt obicem* [4].

1. L. XIX contra Faust., c. 16, t. VIII, p. 321. — 2. Tit., III, 5. — 3. Sess. VI, cap. 7. — 4. Bulla *Exurge Domine*, 15 Iunii 1520. D.-B., n. 741.

10. — Sacramenta novae Legis sunt signa practica gratiae. — Ex hoc sequitur sacramenta novae Legis ordinari ad aliquid sacrum, non solum per modum signi, sed etiam per modum causae, et proinde vere dici posse, secus ac sacramenta veteris Legis, signa practica gratiae.

Nec repugnat quod una et eadem res sit simul signum et causa. Equidem, si de causa principali agatur, utique haec non potest proprie dici signum effectus, licet occulti, etiamsi ipsa sit sensibilis et manifesta; sed causa instrumentalis, si sit manifesta, dici potest signum effectus occulti, eo quod non solum est causa, sed etiam quodammodo effectus, in quantum movetur a principali agente. Sic ferrum quidem, quo homicida inimici sui perfodit latus, non solum est causa instrumentalis vulneris, sed eius etiam signum existit. Secundum hoc igitur sacramenta novae Legis simul sunt causae et signa; et inde est quod, sicut communiter dicitur, efficiunt id quod figurant. Ex quo etiam patet quod habent perfecte rationem sacramenti [1].

11. — Excluduntur Novatorum errores. — Ex hoc sequitur, sacramenta non esse, ut voluerunt sectarii, scilicet Lutherus et Calvinus, et post ipsos anabaptistae et sociniani, α) mera testimonia aut pignora obsignantia divinas promissiones, β) nuda signa fidem excitantia, aut γ) sigilla gratiae prius acceptae; sed multo efficacius valere ad gratiam et remissionem peccatorum, quam verbum Dei seu Evangelium.

Revera α) Scriptura, post auditum et creditum verbum Evangelii, seu post praedicationem promissionum divinarum, remittit hominem ad usum sacramenti, tanquam ad instrumentum gratiae: sic S. Petrus iis, quos sua praedicatione converterat, ait [2]: *Baptizetur unusquisque vestrum.* Accedit pignus alicuius rei debere esse notius re ad cuius confirmationem adhibetur. Atqui sacramenta

1. Ad 1m. — 2. Act., II, 38.

non sunt notiora promissionibus divinis, nam minus distincte significant quam verba concionatoria.

β) Si sacramenta essent nuda signa fidem excitantia, ergo frustra baptizarentur parvuli. Quod ne admitteret Lutherus, gratis asseruit in infantibus usum rationis. Sed etiamsi ita esset, baptisma collatum adulto in lingua ei ignota, nullius esset efficaciae, nec dementi valide conferri posset. Huc facit quod habet Tridentinum Concilium [1]: *Si quis dixerit haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, A. S.*

γ) Aliqua sacramenta instituta sunt ad gratiam vel primo habendam, ut baptismus, vel amissam recuperandam, ut poenitentia. Ergo non sunt mera signa obsignantia gratiam prius acceptam. Quapropter Concilium Tridentinum [2] anathemate plectit qui *dixerit sacramenta novae Legis...* (esse) *quasi signa tantum externa acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notas quasdam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus.*

12. — Difficultas. — Iustificatio in nova Lege fidei attribuitur; sic legimus [3]: *Iustus ex fide vivit;* et cum dictum esset: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,* solum repetitur: *Qui vero non crediderit, condemnabitur* [4], nulla facta mentione de baptismo. Ergo sacramenta non sunt causa gratiae.

Resp. *Dist. antec.*: suppositis aliis dispositionibus, *conc.*; his dispositionibus exclusis, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Revera, idipsum quod fidei tribuitur, aliis quoque dispositionibus interdum tribui solet; ut, verbi gratia, timori [5], dilectioni et charitati [6]; poenitentiae [7], eleemosinae [8], invocationi Dei [9], et similiter sacramentis [10]. Sensus

1. Sess. VII, can. 5, de Sacramentis in genere. — 2. Ibid., can. 6. — 3. Rom., I, 17. — 4. Marc., XVI, 16. — 5. Eccli., I, 13, et XXXI, 20. — 6. Prov., X, 12; Luc., VII, 47. — 7. Act., III, 19. — 8. Tob., IV, 11. — 9. Rom., X, 13. — 10. Act., II, 38; Io., III, 3; Tit., III, 5.

ergo est quod sicut non excluduntur, in iustificationis opere, illae dispositiones, ita nec sacramenta; nam unumquodque modo suo ad salutem requiritur, scilicet, fides ut fundamentum, caritas ut forma, et sacramenta ut causae instrumentales gratiae [1].

13. — **Quaestio.** — *Quisnam sit sensus verborum S. Petri* [2]: QUOD ET VOS NUNC SIMILIS FORMAE SALVOS FACIT BAPTISMA, NON CARNIS DEPOSITIO SORDIUM, SED CONSCIENTIAE BONAE INTERROGATIO IN DEUM?

Resp. Haec verba non significant, ut volunt haeretici, baptisma abluere sordes animae, in quantum obsignat pactum quod anima habet cum Deo, dum fide accipit eius promissiones, et non in quantum revera corpus lavat. Sed sensus est quod, cum in baptismo reperiantur duo, scilicet externa ablutio et interrogatio bonae conscientiae, quo nomine intelligitur sincera fidei professio, quae fit a neophyto coram ministro interrogante, haec interrogatio, seu externa professio fidei internae est praecipuum, tanquam dispositio per se necessaria ad effectum baptismi: externa quippe ablutio per se non salvat, cum baptismus sine fide nihil valeat. Interna igitur ablutio non removetur ab externa caeremonia ablutionis, sed id quod praecipuum est indigitatur; aliunde phrasis est in Scriptura usitata, qua unum negatur, dum alterum ei praeponitur, ut in illo [3]: *Misericordiam volui et non sacrificium.* — Advertendum, in graeco haberi, pro *interrogatio,* ἐπερώτημα, quod est *stipulatio,* qua inter duos, uno interrogante et altero respondente, contractus fieri solet. Additur autem *in Deum,* εἰς Θεόν, quod alii vertunt *ad Deum,* vel quia res agitur coram Deo, vel quia solus Deus videt conscientiam respondentis, an bona sit et sincera [4].

1. Cf R. P. ED. HUGON, O. P., La Causalité instrumentale en théologie, c. IV. Paris, 1907, pp. 118, seq. — 2. 1 Ep., III, 21. — 3. Osee, VI, 6. — 4. Cf. Estius, Comment. in h. l.

ARTICULUS II. — *Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.*

1. — Quid sit gratia virtutum et donorum. — Ex tractatu de gratia [1] accipimus gratiam, secundum se consideratam, perficere essentiam animae, in quantum participat quandam similitudinem divini esse; sicut autem ab essentia animae fluunt eius potentiae, ita a gratia fluunt quaedam perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes et dona, quibus potentiae perficiuntur in ordine ad suos actus. Licet autem gratia nunquam sit sine virtutibus et donis, tamen ab iis realiter distinguitur, quemadmodum et potentiae realiter distinguuntur ab essentia animae.

Igitur, quando dicimus: *gratia virtutum et donorum,* duo dicimus: scilicet ipsam substantiam vel radicem gratiae quae perficit animam quantum ad eius essentiam, et qualitates superadditas, quae perficiunt potentias, et simul excludunt vitia et peccata, cum nullum sit peccatum quod non contrarietur alicui virtuti [2].

2. — Ratio articuli. — Porro, cum gratia virtutum et donorum aliunde quam a sacramentis haberi aut augeri possit, sicut cum quis prorumpit in actum ferventioris caritatis, iam compertum manere debet quod gratia sacramentalis aliquid revera addit supra gratiam virtutum et donorum: si enim gratia sacramentalis non adderet aliquid supra gratiam virtutum et donorum, frustra sacramenta conferrentur habentibus iam virtutes et dona; atqui nihil est frustra in operibus Dei. Ergo satis aperte constat, gratiam sacramentalem aliquid addere super gratiam virtutum et donorum [3]. Hic ergo proprie de ratione specifica huius gratiae quaeritur. — Pro quo solvendo, sit

1. 1 2ae, Quaest. CX, art. 3 et 4. — 2. Ad 2m. — 3. Sed contra.

3. — PROP. — **Gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et super virtutes et dona, divinum quoddam auxilium ad consequendum sacramenti finem.**

4. — **Ostenditur.** — Sicut virtutes et dona ordinantur ad perfectionem potentiarum animae, quibus scilicet anima suas operationes exercet, ita sacramenta ordinantur ad quosdam speciales effectus necessarios in vita christiana et ad quaedam remedia peccatorum; sicut baptismus ordinatur ad quamdam spiritualem regenerationem qua homo moritur vitiis et fit membrum Christi. Atqui iste effectus est aliquid speciale praeter actus potentiarum animae. Ergo sicut virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam quamdam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam et super virtutes et dona divinum quoddam auxilium ad consequendum sacramenti finem.

5. — **Corollarium.** — Quapropter concludendum est quod gratia quidem communiter dicta sufficienter perficit essentiam animae; virtutes autem et dona sufficienter perficiunt eius potentias quantum ad generalem ordinationem actuum animae; sed quantum ad quosdam speciales effectus producendos, necessarios ad vitam christiane traducendam, requiritur gratia sacramentalis [1].

Similiter defectus animae, qui ex peccatis causantur, quantum ad praesens et futurum, sufficienter excluduntur per virtutes et dona, in quantum per virtutes et dona impeditur homo a peccando; sed quantum ad praeterita peccata, quae transeunt actu et permanent reatu, necesse est ut adhibeatur homini remedium per sacramenta [2]. Nimirum gratia sanctificans, secundum se quidem, valet hominem

1. Ad 1^{m}. — 2. Ad 2^{m}.

communire contra pericula peccati, unde in statu innocentiae homo per eam fuisset sufficienter impeditus a peccando. At ex quo lapsus originalis omnium passionum frena disrupit, sanandis animae sauciatae vulneribus medicina sacramentalis debuit adhiberi. [1].

6. — **Quaestio I.** — *Quid est auxilium illud quod per gratiam sacramentalem confertur homini?*

Resp. Huiusmodi auxilium non est novus habitus gratiae distinctus a gratia communiter dicta, quia habitus ponuntur ad perficiendum sive essentiam animae, sive eius potentias: atqui per gratiam et habitus virtutum theologicarum et moralium necnon donorum, anima eiusque potentiae sunt sufficienter instructae ad quoscumque actus salutares. Igitur dicendum est quod gratia habitualis, quae per sacramenta confertur, ordinatur ex speciali directione Dei ad actus convenientes finibus sacramentorum et ad eos disponit suscipientem; unde gratia sacramentalis est *actuale divinum auxilium extensivum gratiae virtutum et donorum ad effectus proprios sacramenti* [2].

Quae cum ita sint, gratia sacramentalis se habet ad gratiam communiter dictam seu iustificantem, sicut ratio speciei ad genus: non quia una sit propria species et altera genus, observat Sylvius [3], sed quia gratia sacramentalis includit alteram et insuper id quod supra dictum est, et consequenter est aliquid minus commune. Unde non aequivoce dicitur gratia communiter sumpta et gratia sacramentalis, sicut non aequivoce dicitur animal communiter dictum et sumptum pro homine [4].

7. — **Quaestio II.** — *Quinam sunt effectus singulorum sacramentorum proprii?*

1. Al. Ad. Paquet, Disp. I, Quaest. IV, art. 1. p. 59. — 2. Cajet., in h. l. Cf. Tract. n. DE GRATIA, Quaest. CXI, art. 3, n. 7, p. 155. — 3. In h. l. — 4. Ad 3m.

Resp. Effectus proprius *baptismi* est gratia sanctificans, quatenus regenerativa est hominis, tribuens ipsi primum esse spirituale, et delens omnem culpam et poenam; insuper auxilia quaedam specialia secumfert, ad hoc ut homo regeneratus Christo se conformet in vita spirituali, et alia sacramenta bene suscipiat.

Effectus *confirmationis* est, simul cum gratia vel augmento eius, auxilium speciale inclinans hominem ad fidem constanter atque viriliter tenendam et profitendam.

Effectus *eucharistiae* addit super gratiam habitualem, inclinationem ad actus devotionis, pietatis et caritatis.

Effectus *poenitentiae* est gratia culparum actualium remissiva, connotans specialia auxilia ad perseverantius detestandum quaecumque peccata in futurum.

Effectus *extremae unctionis* est gratia Spiritus Sancti; *cuius unctio,* ait Concilium Tridentinum [1], *delicta si quae sint adhuc expianda ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo misericordiae fiduciam excitando; qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.*

Effectus *ordinis,* praeter gratiam sanctificantem, est auxilium speciale ad sacras functiones sancte et religiose obeundas.

Effectus *matrimonii,* super gratiam addit speciale quoddam adiutorium ad moderandas carnis concupiscentias, ad prolem christiane in lege Dei instituendam et coniugalem fidem servandam [2].

8. — **Advertenda.** — I. Advertimus iam alibi [3], praedictam gratiam sacramentalem, ex qua parte nominat

1. Sess. XIV, de Sacr. Extr. Unct., c. II. — 2 Cf. Sylvius, in h. l. — 3. Tr. DE GRATIA, Quaest. CXI, art. 3, n. 8, p. 156.

auxilia actualia ad sacramentorum fines ordinata, posse interdum haberi sine sacramento, sicut robur ad fidem profitendam, in eo qui confirmationis sacramentum recipere non potuerit. — II. Praeterea, quia huiusmodi sacramentalis gratia actualiter a Deo tribuitur ad actus singulares, sacramentorum finibus correspondentes, exercendos, ideo unusquisque sollicite se gerat oportet, ne segnitia aut malitia indignum se exhibeat qui huiusmodi effectus percipiat.

Articulus III. — *Utrum sacramenta novae Legis contineant gratiam.*

1. — Quibus modis aliquid continetur in alio. — Aliquid contineri potest in alio, vel ut forma in subiecto, vel ut locatum in loco, vel ut effectus in causa univoca, vel ut effectus in causa analogica principali, vel ut effectus in causa analogica instrumentali, vel ut signatum in signo.

Porro, compertum est gratiam non contineri in sacramentis novae Legis ut formam in subiecto, quia subiectum gratiae non est corpus, sed spiritus; neque sicut locatum in loco, esse enim ut locatum in loco non convenit accidenti; neque ut effectum in causa univoca, gratia enim non est in sacramento novae Legis secundum similitudinem speciei, quemadmodum effectus est in causa univoca; nec denique ut effectum in causa analogica principali, quia sacramenta non habent formam propriam, permanentem et proportionatam ad talem effectum, sicut requiritur in causa analogica principali, a qua effectus pendent non solum in fieri, sed etiam in facto esse, sicut omnes res sunt in Deo, a quo iugiter dependent.

Ergo, cum iam determinatum fuerit gratiam esse in sacramentis tanquam in signo, non remanet hic nisi ut investigetur quomodo sit in eisdem etiam tanquam effectus in causa analogica instrumentali.

2. — PROP. — α) **Sacramenta continent gratiam,** β) **eo modo quo effectus continetur in causa analogica instrumentali.**

3. — 1ª **Pars** est de fide, ita tradita in concilio Florentino [1]: *Haec nostra* (sacramenta) *et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Pariter, Concilium Tridentinum ait [2]: *Si quis dixerit, sacramenta novae Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre... A. S.* Hanc veritatem ita exprimit Hugo de sancto Victore [3]: *Sacramentum ex sanctificatione invisibilem gratiam continet.*

4. — **Prob. 2ª Pars.** — Sacramentum novae Legis est instrumentalis causa gratiae, ut dictum est [4]. Igitur gratia in nostris sacramentis continetur ut in causa instrumentali. Atqui effectus continetur in causa instrumentali secundum esse fluens et incompletum. Ergo gratia continetur in sacramentis secundam quamdam virtutem instrumentalem, quae est fluens et incompleta in esse naturae.

5. — **Sacramenta rite dicuntur vasa gratiae.** — Ex his sequitur sacramenta rite vocari vasa gratiae, sumpto vase non prout est locus quidem, sed iuxta phrasim Scripturae, qua nomen *vas* usurpatur seu significando instrumento alicuius operis faciendi, quo sensu penes Amos [5] instrumenta musica dicuntur *vasa cantici;* et apud Ezechielem gladius dicitur *vas interfectionis* [6]: *Unusquisque vas interfectionis habet in manu sua* [7]. Hoc quoque sensu S. Paulus vocatus est [8] *vas electionis,* seu instrumentum aut minister eximius gratiae divinae.

1. Decret. pro Armenis, Denzinger, 695. — 2. Sess. VII, can. VI. — 3. L. I de Sacram., Part. 9, c. 2. — 4. Art. 1. — 5. IV, 5. — 6. IX, 1. — 7. Ad 1m. — 8. Act. IX. 15.

Sacramenta igitur non incongrue vocantur vasa gratiae; quia licet gratia non sit in eis tanquam in receptaculo, tamen gratiam nobis depromunt quoties ad ea recurrimus Huc pertinet illud Zachariae [1]: *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatae;* quod a S. Hieronymo [2] de baptismo intelligitur. *Gratiam quam* (Christus) *nobis in ara crucis meruit,* ait Catechismus Romanus [3], *per sacramenta, quasi per alveum quemdam, in nos ipsos derivare oportet.*

6. — **Figura ubertatis gratiae in Sacramentis contentae.** — Huius ubertatis divinae gratiae in sacramentis inclusae insignis figura exhibetur in quarto libro Regum [4], ubi viduae debitis oppressae Eliseus oleum impetravit, quo illa creditoribus exsolveret: nimirum cum petiisset illa mutuo a vicinis vasa vacua non pauca, modicum olei quod domi habebat in ea infusum adeo multiplicatum est, ut non steterit oleum, nisi deficientibus vasis. Quo significatur oleum divinae gratiae per sacramenta conferendae, hominibus nunquam defecturum esse usque in finem mundi, sed potius homines ipsi defecturos [5].

7. — **Scholion.** — Hic autem sedulo cavendum est ne, dum dicuntur sacramenta continere gratiam, eo sensu istud intelligatur, quasi gratia possit transire de subiecto in subiectum, de sacramentis scilicet ad animam. Nam accidens minime transit de subiecto in subiectum; sed transit a causa per instrumentum aliqualiter in subiectum; non ut huiusmodi accidens sit in causa, in instrumento et in anima, eodem modo; sed est in unoquoque horum secundum propriam eius rationem: scilicet, in causa, secundum rationem causae; in instrumento, se-

1. C. XIII, 1. — 2. Comment. in Zach. t. VI, p. 906. — 3. P. II, c. I, n 14. — 4. IV, 1-6. — 5. Cf. supra, p. 6, n. 13.

cundum rationem instrumenti; in anima autem, secundum rationem subiecti [1].

8. — **Difficultas.** — Spirituale non continetur a corporali, etiamsi in eo sit. Atqui gratia est quid spirituale, sacramentum autem quid corporale. Ergo gratia non continetur in sacramentis.

Resp. *Dist. mai.:* spirituale existens perfecte in corporali, *conc.;* spirituale non perfecte existens in corporali, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Utique, spirituale existens perfecte in aliquo, continet ipsum et non continetur ab eo, ut patet de anima quae continet corpus et non continetur a corpore: si vero spirituale non perfecte in aliquo corporali existat, potest secundum aliquem modum contineri a corporali in quo existit. Cum igitur gratia sit in sacramentis secundum esse fluens et incompletum, hinc non inconvenienter sacramenta dicuntur continere gratiam [2].

ARTICULUS IV. — *Utrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiae causativa.*

1. — **Quid doceant qui tenent causalitatem moralem sacramentorum.** — Propositae in titulo quaestioni negativam responsionem dare coguntur ii qui ponunt sacramenta non causare gratiam, nisi per quamdam concomitantiam, seu moraliter: nimirum, dicunt quod in ipso sacramento non sit aliqua virtus quae operetur ad sacramenti effectum; sed quod sacramento virtus quaedam divina adsistat quae, iuxta initam pactionem, sacramentalem ipsamet effectum operetur. Illi quidem idipsum ponunt circa sacramenta, quod occasionalistae circa res

1. Ad 2m. — 2. Ad 3m.

mundanas, Deum scilicet omnes effectus rerum mundanarum per se ipsum immediate operari [1].

Positionem hanc tuentur, ex antiquis, Scotus, Durandus, Petrus Alliacensis [2]; inter recentiores vero, Vasquez, de Lugo, Franzelin, de Augustinis, qui docent in sacramentis novae Legis, ex Christi institutione, inesse specialem dignitatem et excellentiam, qua Deus obiective moveatur ad gratiam infallibiliter conferendam.

2. — **Sententia S. Bonaventurae.** — Eamdem hanc sententiam Seraphico Doctori, licet dubitanter, arrisisse, ex eius scriptis haurimus, dum duas opiniones recitat, quarum prior ita ab eo exponitur [3]: *Aliqui volunt dicere, quod in sacramentis est aliqua virtus creata, per quam influunt in animam, et habent rationem causandi differenter. Dicunt enim quod in sacramentis datur gratia gratum faciens; datur etiam in eis gratia gratis data, sicut est caracter et ornatus animae; datur etiam debilitatio fomitis sive expeditio potentiarum, haec est efficacia gratiae. Dicunt ergo, quod respectu gratiae gratum facientis, sunt sicut causa sine qua non; respectu characteristicationis et ornatus, sunt sicut causa efficiens; respectu illius virtutis, respectu scilicet debilitationis fomitis sive roboris potentiarum, sunt causa disponens.*

Alteram sententiam ita exponit: *Est etiam aliorum magnorum circa hoc opinio, dicentium, quod in sacramentis non sit causalitas, neque virtus aliqua, nec effectiva, nec dispositiva ad gratiam, quae sit qualitas vel proprietas aliqua absoluta, sed per quamdam as-*

1. Occasionalismi refutationem videsis in tr. DE PERTINENTIBUS AD DIVINAM OPERATIONEM, Quaest. XXII, art. 3, n. 8, p. 331. — 2. Petrus Aliacensis (d'Ailly) cardinalis, natus Compendii, in Gallia, a D. 1350, plura de rebus ecclesiasticis conscripsit, unde dictus est aquila Doctorum Galliae et haereticorum martellus. Obiit Avenione, a. D. 1420. — 3. 4, Dist. I, p. I, Art. unic., Quaest. IV, conclus. t. IV, pp. 21, seq.

sistentiam. Sacramento enim dicunt assistere divinam virtutem, quae est causa gratiae, et fidem et devotionem suscipientis, quae disponit ad gratiam.

Hoc posito, suam mentem S. Doctor ita aperit: *Utraque harum positionum satis videtur probabilis, haec tamen mihi videtur ad sustinendum facilior; nescio tamen quae sit verior: quia cum loquimur de his quae sunt miraculi, non multum adhaerendum est rationi. Concedimus igitur, quod sacramenta novae Legis sunt causa, et afficiunt et disponunt, extenso nomine, ut dictum est, et hoc securum est dicere: utrum autem plus habeant, nec volo affirmare nec negare.*

3. — PROP. — **In sacramentis inest quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum.**

Imprimis advertendum monemus, in enunciata propositione, satis aperte significari quod sacramenta gratiam producunt *physico influxu,* cum idem omnino sit dicere sacramenta virtutem instrumentalem habere ad gratiam causandam, et per illa physico influxu gratiam causari.

4. — **Probatur haec veritas ex auctoritate.** — Porro recitata propositio ita aequivalentibus verbis traditur in Concilio Tridentino[1]: *Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui Sancto eos qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, A. S.* Re quidem vera, id quod de confirmatione dicitur, aeque valet et pro ceteris sacramentis. Pariter, in Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano recitamus: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum;* qui quidem dicendi modus aequivalet ei quod dicatur, sacramento baptismatis inesse virtutem ad gratiam, sine qua peccatorum remissio non fit, infundendam.

1. Sess. VII, can. 2 de Confirm.

5. — Ostenditur singula sacramenta gratiam causare propria sua actione. — Idipsum evidenter ostenditur ex modo loquendi Sacrae Scripturae, percurrendo singula sacramenta. Et primo de *baptismo*, inter alia plura, legimus S. Petrum ad Iudaeos dixisse [1]: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti.* Pariter [2] S. Paulus testabatur sibi dictum ab Anania: *Et nunc quid moraris? Exurge et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius* [3].

De *confirmatione* hoc legitur [4]: *Cum vidisset Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus,* etc. [5].

De *eucharistia* [6]: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam externam.* Idipsum patet ex S. Matthaeo [7], et ex S. Paulo [8], in quantum ex eis evidenter eruitur Christum esse realiter praesentem in sacramento Eucharistiae ad vitam animae confovendam.

De *poenitentia* [9]: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* et iterum [10]: *Dedit nobis ministerium reconciliationis.*

De *extrema unctione* [11]: *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.*

De *ordinatione* [12]: *Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii,* et rursus [13]: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum.*

Pro *matrimonio* valet id quod apud Ioannem narratur [14],

1. Act., II, 38. — 2. Ibid., XXII, 16. — 3. Cf. Io., III, 5; Eph., V, 26; etc. — 4. Act., VIII, 18. — 5. Cf. Ibid., XIX, 6. — 6. Io., VI, 55. — 7. XXVI, 26, 28. — 8. 1 Cor., X, 16; XI, 24, 25. — 9. Io., XX, 23. — 10. 2 Cor., V, 18. — 11. Iac., V, 15. — 12. 1 Tim., IV, 14. — 13. 2 Tim., I, 6. — 14. C. II, 2.

de Iesu sanctificante per suam praesentiam nuptias, ut Patres testantur.

Atqui in his et similibus loquendi modis effectus gratiae, non fidei, sed ipsi actioni sacramentali, tanquam causae proximae et proportionatae tribuitur; nulla enim facta de fide mentione, collatio gratiae ostenditur intime coniuncta cum signo sacramentali; insuper, particulae *per* et *ex* indicant, illo signo posito, tanquam causa de se sufficiente, effectum infallibiliter produci.

6. — Traditio Ecclesiae. — Patrum testimonia huic veritati liquido suffragantur. Sic Tertullianus, de aquis baptismi loquens, ait [1] quod *sanctificatae, vim sanctificandi combibunt;* et ulterius [2]: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro Corpore et Sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Qui adhuc expressius exclamat [3]: *Quid ergo? Nonne mirandum, et lavacro dilui mortem?*

Idipsum testatur S. Augustinus, dum ait [4], *non eorum meritis a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate atque veritate, propter eum a quo institutus est.* Celebria etiam sunt eiusdem Patris verba [5]: *Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat* [6]*?*

Pariter, non minus eleganter quam vere, S. Ioannes Chrysostomus comparat regenerationem animarum nostrarum per aquas baptismatis productioni reptilium ex aquis, utrumque operante efficacissima Spiritus Sancti virtute [7]: *Primum dicebatur* [8]: PRODUCANT AQUAE RE-

1. De Bapt. c. IV. — 2. De resurrect. carnis, c. VIII. — 3. De Baptismo, c. II. — 4. L. IV contra Crescon., c. 16, t. IX, p. 493. — 5. Tr. 80 in Io. t. III, p. 703. — 6. Cf. eumdem S. August., L. I. de peccator. meritis et remiss. cc. 19 et 33, t. X, pp. 14 et 34; contra Donatistas, l. IV, cc. 4 et 11, t. IX, pp. 124, 131. — 7. In Io., Homil. XXVI, al. XXV, n. 1, t. IX, p. 367, Paris, 1835. — 8. Gen., I, 20.

PTILE ANIMAE VIVENTIS; *ex quo autem Iordanis fluenta ingressus est Dominus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales Spiritum Sanctum ferentes aqua producit* [1]. Demum Ven. Beda ait [2]: *Dominus tactu suae mundissimae carnis vim regenerativam contulit aquis.*

7. — **Liturgia.** — Ex liturgia quoque evidenter constat, sacramentis inesse vim aliquam realem ad effectus sanctificationis instrumentaliter producendos; sic, in benedictione chrismatis, Ecclesia orat ut *fiat omnibus qui ex eo ungendi sunt, in adoptionem filiorum per Spiritum*, Deumque adprecatur *ut huius creaturae pinguedinem sanctificare sua benedictione dignetur, et Sancti Spiritus ei admiscere virtutem* [3]; quibus et similibus formulis, quae passim in consecrationibus rerum sacramentalium inveniuntur, liquido eruitur ipsis inesse arcanam quamdam sanctificationis vim. Maxime vero legendae sunt pulcherrimae orationes Missalis Romani, quibus Ecclesia petit a Deo, verbi gratia, *ut redemptionis nostrae sacrosancta commercia et vitae nobis conferant praesentis auxilium, et gaudia sempiterna concilient* [4].

8. — **Solvuntur difficultates ex Patribus.** — Contra hanc propositionem, afferri solent sequentia verba S. Augustini [5]: *Quid enim sunt aliud quaeque corporalia sacramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia ?* — At hoc dicendi modo, sanctus praesul Hipponensis minime negat sacramentis novae Legis efficaciam instrumentalem ex opere operato, quam saepe alibi asserit; sed, cum de

1. Cap. X in Luc., super illud Luc. III, *Factum est autem.* — 2. Vide etiam S. Cyrillum Alexandr., in Io., III, 5. — 3. Cf. Pontif. Roman., de officio in feria V Coena Dom., Bened. Chrism. — 4. Postcom. Fer. V post Pascha. Cf. maxime Ord. Bened. Fontis in Sabbato Sancto. — 5. L. XIX contra Faust.. c. 16. t. VIII, p. 321.

sacramentis in genere, scilicet tum veteris tum novae Legis, disputaret, ideo id quod ipsis commune est assignat, scilicet rationem significationis.

Nec magis thesi nostrae adversantur S. Bernardi verba quae superius retulimus [1]; nam, ut advertit Angelicus [2], Claravallensis Doctor, *ut ex praecedentibus ibidem patet, non intendit ostendere similitudinem sacramentorum ad illa* (scilicet librum, baculum et annulum), *nisi quantum ad significationem, quia annulus est signum et baculus, et similiter sacramenta, sed sacramenta ulterius sunt causae.*

9. — **Prob. rat. theol.** — Quod est causa instrumentalis gratiae habet virtutem instrumentalem ad inducendum sacramentalem effectum. Atqui sacramentum est causa instrumentalis gratiae, ut dictum est [3]. Ergo habet virtutem instrumentalem ad inducendum sacramentalem effectum.

Revera, si sacramentis inest virtus quaedam instrumentalis ad gratiam causandam, sequitur quod ex positione signi sensibilis, effectus gratiae sequi debeat: posita enim causa, ponitur effectus, nisi obex adsit. Consequenter, per actionem sacramentalem, ut advertit Al. Ad. Paquet [4], non solum completur significatio spiritualis effectus, sed etiam imperium divinae virtutis physice defertur et suscipienti applicatur, modo et tempore determinatis; ita ut dependenter ab illa actione, et quasi per eamdem modificata, Dei virtus gratiam efficiat.

10. — **Confirmatur** etiam ex hoc quod sacramenta habent efficaciam, etiamsi minister sit malus, ut infra tradetur [5]; ulterius, habent suum effectum etiam ubi nulla est dispositio, ut in parvulis et in amentibus, aut ubi di-

1. Art. 1, n. 2, p. 86. — 2. 4, Dist. I, Quaest. I, art. 4, quaestiunc. 1, ad 1m. — 3. Art. 1, n. 6, p. 88. — 4. P. 48. — 5. Quaest. LXIV, art. 5.

spositio quidem adest, sed insufficiens ad gratiam sine sacramento consequendam, ut in poenitente solummodo attrito. Unde, concludit Sylvius [1], ex duobus parvulis aequaliter reis, et ex duobus adultis aequaliter ad baptismum vel poenitentiam praeparatis, scilicet per attritionem, iustificatur is qui baptizatur vel absolvitur, et non alter.

11. — Quaestio. — *Quid est ista virtus instrumentalis?*

Resp. Virtus instrumentalis non est, ut voluerunt aliqui, ens per creationem productum, nam nihil de novo creatur et multo minus accidens, quod non habet esse nisi in alio; et si quidem crearetur, non esset conveniens quod tam nobilis creatura esse desineret, sacramento perfecto; nec est qualitas aliqua sacramentis superaddita; sed ut ait Angelicus [2], acquiritur instrumento ex hoc ipso quod movetur ab agente principali, sicut penicillus habet virtutem ad depingendum imaginem, et fides citharae ad sonum musicum edendum, hoc ipso quod ab homine perito moventur instrumentaliter; et ita sacramentum consequitur spiritualem virtutem ex benedictione Christi et applicatione ministri. *Nec mirum,* ait pius quidam auctor [3], *quod aquam, hoc est substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus pervenire: pervenit plane et penetrat conscientiae universae latibula; quamvis enim sit subtilis et tenuis, benedictione tamen Christi facta subtilior, occultas vitae causas ac secreta mentis subtili rore pertransit* [4].

12. — Virtus instrumentalis est per modum intentionis. — Igitur dicendum est quod haec virtus proportio-

1. In h. l., art. 1, quaer. II. — 2. Hic, ad 3m. — 3. Verba ista in textu S. Thomae referuntur tanquam a S. Augustino prolata *in quodam sermone de Epiphania;* at revera apud sanctum praesulem minime reperiuntur. Aliquid simile adumbratum reperies in Sermone CXXXVI in Epiphania Domini, al. de Temp. XXIX. Inter Opp. S. August., t. V, Append., p. 244. — 4. Ad 3m.

natur instrumento; unde comparatur ad virtutem absolutam et perfectam alicuius rei, sicut comparatur instrumentum ad agens principale. Instrumentum enim non operatur, nisi in quantum est motum a principali agente quod per se operatur, et ideo virtus principalis agentis habet esse permanens et completum in natura; virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud et incompletum, sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens. Huiusmodi autem entia, advertit Angelicus [1], consueverunt intentiones nominari, et habent aliquid simile cum ente quod est in anima, quod est ens diminutum.

13. — In quonam praedicamento debeat ista virtus reponi. — Ulterius autem adverti debet, quod sicut motus et cetera entia imperfecta non sunt proprie in aliquo genere, sed reducuntur ad genus entis perfecti, sicut alteratio ad genus qualitatis et materia ad genus substantiae, ita virtus instrumentalis quae est in sacramentis non est proprie in aliquo genere, sed reducitur ad genus et speciem virtutis perfectae, et hoc modo est inter maxima bona computanda, et propterea sacramenta ipsa cum magna reverentia tractari debent tum a ministris, tum a suscipientibus [2]. — Nec ex hoc quod ista virtus est incompleta, deduci debet sacramenta esse quid imperfectum: quia de perfectione instrumenti non est quod agat per virtutem completam, sed quod agat in quantum movetur, et sic per virtutem incompletam, ait S. Thomas [3].

14. — In quonam subiecto resideat ista virtus. — Quoad subiectum autem huius virtutis receptivum, dicendum est hoc esse ipsas res quae moventur: inchoative quidem et partialiter hinc quidem materiam, illinc vero

1. 4, Dist. I. Quaest. I, art. 4, Quaestiunc. V, sol. II. — 2. Ad 2m. — 3. De Verit., Quaest. XXVII, art. 4, ad 6m et 7m.

formam, completive autem et totaliter utramque simul, prout ex verbis et rebus perficitur unum sacramentum; nam eadem vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine unum [1]. Incipit autem haec virtus quando motus inchoatur, et desinit quando motus cessat, cum non sit alia res ab eo, ut advertit Sylvius [2]; ubi tamen addi debet, motum in hoc distingui ab ipsa virtute, quod motus, ut motus est, solum respicit terminos et subiectum; virtus autem respicit effectum, est enim id quo effectus producitur.

15. — **Scholion.** — Cum sacramenta novae Legis virtutem effectivam habeant circa gratiae productionem, dicendum est, nunquam sine sacramento, caeteris paribus, eamdem gratiam conferri ac cum sacramento actu suscepto. *Regula universalis est,* ait Dominicus Soto [3], *quod gradus gratiae qui correspondet sacramento, nunquam confertur, nisi eo re suscepto. Gratia enim sacramentalis est promissa utenti sacramento* [4].

Cum hoc tamen stat quod quanto maior est subiecti recipientis cooperatio, tanto etiam maior gratia confertur homini; unde in Concilio Tridentino legitur [5]: *Si quis dixerit, opera omnia quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, A. S.* Huius autem ratio est quia, sicut res naturales operantur proportione salvata cum dispositionibus

1. Ad 4m. — 2. In h. l. — 3. In 4, Dist. XI, Quaest. II, art. 1. — 4. Attende, lector, hoc dici ordinarie loquendo: potest enim ex dispositione divina et subiecti conditione fieri ut quis maiorem gratiam sacramentalem absque sacramento percipiat, qualiter factum est, verbi gratia, in Beatissima Virgine, relate ad confirmationem et extremam unctionem. Cf. tr. DE B.MA VIRGINE MARIA, MATRE DEI, Ed. 4a, P. II, C. I, a. 5, pp. 264, 265. — 5. Sess. VI, can. VII.

subiecti, melius enim comburitur lignum siccum quam viride; ita et sacramenta abundantiorem producunt gratiam in subiecto melius disposito.

Sed, abstractione facta a dispositionibus subiecti, sacramenta solo numero distincta aequalem gratiam conferunt; inaequalem autem si considerentur secundum speciem distinctam, est enim unum altero dignius; unde legimus [1]: *Si quis dixerit haec septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, A. S.*

16. — **Difficultates.** — I. In re corporali nequit esse aliqua virtus spiritualis. Atqui sacramenta sunt corporalia, virtus autem causativa gratiae est spiritualis. Ergo in sacramentis nequit esse aliqua virtus causativa gratiae. — *Prob. mai.* Nam in corpore nequit esse virtus spiritualis ita quod sit ei propria, quia virtus fluit ab essentia rei; nec ita quod recipiat eam ab alio, quia quod recipitur ab aliquo est in eo per modum recipientis.

Resp. *Dist. mai.*: complete et permanenter, *conc.*; incomplete et transeunter, *nego. Trans. min. Nego conseq. et conseq.* — Utique nequit virtus spiritualis esse in re corporea per modum virtutis permanentis et completae; nihil tamen prohibet quominus sit in corpore virtus spiritualis instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum, quemadmodum in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis; et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem producendum [2]. — Transmisimus autem minorem, quia si stricte quidem loqui velimus, virtus sacramentorum est res formaliter corporalis, utpote motio rei corporeae; vo-

1. Conc. Trid., Sess. VII, can. III. — 2. Ad 1m.

catur autem spiritualis, ait Sylvius [1], *sermone causali*, quia, prout est instrumentum Dei, causat rem spiritualem.

II. Omne instrumentum habere debet aliquam actionem sibi connaturalem accommodatam ad effectum producendum. Atqui interdum aliqua sacramenta non habent aliquam actionem sibi connaturalem accommodatam ad effectum producendum, ut videre est in poenitentia, in qua necessarium non est ut verba sacerdotis contingant realiter eum cui hoc sacramentum administratur. Ergo sacramenta non sunt revera instrumenta ad gratiam conferendam.

Resp. *Dist. mai.*: instrumentum agentis finiti, *conc.*; agentis infiniti, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Utique instrumenta naturalia et artificialia quae assumuntur ab aliquo agente finito producunt effectum per aliquam actionem accommodatam ad effectum illum: unde ad diversos effectus diversa instrumenta naturalia requiruntur ad illos accommodata. Sed cum virtus Dei sit infinita, ideo instrumenta ab eo assumuntur ad agendum, non secundum potentiam naturalem, sed secundum potentiam obedientialem; ideoque in divinis instrumentis non requiritur propria ipsorum actio accommodata ad effectum supernaturalem. Quapropter videmus etiam quod Deus vilibus rebus utitur ad suos fines attingendos; insuper, ad miracula patranda utitur vel interiori motu hominis, vel eius locutione, vel aliquo exteriori actu aut contractu corporis etiam mortui [2].

III. Nulla potentia potest elevari, etiam de potentia Dei absoluta, ad complendam actionem extra suum obiectum. Atqui obiectum cuiuscumque potentiae activae corporeae est corpus. Ergo etiam de potentia Dei nequeant elevari sacramenta ad agendum aliquid spirituale.

1. Hoc loco. — 2. Cf. 2 2ae, Quaest. CLXXVIII, art. 1, ad 1m. Cf. etiam Op. n. Del Miracolo, c. X, § II.

Resp. *Dist. mai.:* extra suum obiectum extensivum, *conc.;* proportionatum, *nego. Dist. min.:* obiectum proportionatum, *conc.;* extensivum, *subdist.,* potentiae corporeae principaliter operantis, *conc.;* instrumentaliter operantis, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Utique nulla potentia potest ferri extra suum obiectum extensivum: unde impossibile est quod visus corporalis percipiat sonum aut spiritum; potest tamen instrumentum, ut instrumentum est, ferri ad aliquid quod sit supra suam naturam, in quantum scilicet movetur ab agente principali. Sic ignis materialis assumitur a Deo tanquam instrumentum divinae vindictae ad torquendos daemones, *quamvis miris, veris tamen modis,* ait S. Augustinus [1]; sic etiam phantasma, illuminatum ab intellectu agente, redditur habile ut ab eo intentio intelligibilis abstrahatur [2].

Ad rem Catechismus Romanus [3]: *Quo autem pacto tanta res et tam admirabilis per sacramentum efficiatur, ut, quemadmodum sancti Augustini sententia celebratum est,* AQUA CORPUS ABLUAT, ET COR TANGAT [4]; *id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendi non potest. Constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem suapte natura ea vi praeditam esse, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei virtutem in sacramentis inesse, qua id efficiant, quod sua vi res ipsae naturales praestare non possunt.*

17. — **Quomodo sententia tenentium causalitatem moralem sacramentorum deroget perfectioni universi.** — Diximus supra, ad occasionalismi labem pertinere sententiam tenentium causalitatem moralem sacramentorum [5]. Et revera, quod talis sententia deroget perfectioni ope-

1. L. XXI de Civ. Dei, c. 10, t. VII, p. 631. — 2. 1 Quaest. LXXXV, art. 1, ad 4m. — 3. P. II, c. I, n. 27. — 4. Tract. LXXX in Io. t. III, par. II, p. 703. — 5. Art. 1, n. 2, p. 86; art. 4, n. 1, p. 100.

rum Dei, ex hoc patet quod bonum universi praecise consistit in arcto vinculo quo diversae res huius mundi ad invicem subordinantur et in invicem influunt, in ordine ad aeternam singulorum hominum salutem. — Enimvero, cum potuisset Deus, uno voluntatis suae actu, genus humanum salvare, voluit nihilominus ut ad huiusmodi opus complendum, totus complexus agentium subordinatorum concurreret, in quo admirari libet tum multitudinem causarum, tum harmoniam qua istae ad invicem connectuntur. Sic igitur, sub Beatissima Trinitate, quae principalis nostra redemptrix est, invenitur primo sacrosancta Christi humanitas, quae est instrumentum coniunctum divinitatis; tum, sub Christo, Beatissima Virgo, eius Mater, quae est nostra ad Christum mediatrix; tum ministri Ecclesiae necnon sacramenta ipsa, quae omnia, utique diversimode, ad eumdem effectum humanae salutis producendum concurrunt.

Sicut igitur, in ordine naturali, causae secundae ita sapienter ordinantur, ut, quamvis multiplices sunt, nihilo minus miro ordine inter se colligentur, adeo ut omnis vel tenuis umbra confusionis excludatur; ita, in ordine supernaturali, pulcritudo operis divini maxime resultat ex mirabili causarum effectuumque harmonia, quam tamen fautores sententiae, quam impugnamus, suo ipsi systemate, pessumdare coguntur.

Articulus V. — *Utrum sacramenta novae Legis habeant virtutem ex passione Christi.*

1. — Ratio articuli. — Cum in Christo Domino debeant considerari, primo eius divinitas, secundo eius humanitas, et tertio mysteria quae in eius humanitate completa sunt, ideo, ut proposito quaesito plene satisfiat, singillatim quaerendum esset quomodo virtus sacramentorum novae Legis ab his tribus dependeat. At de divi-

nitate hic non dubitatur, cum satis compertum sit ipsam esse principalem causam efficientem gratiae, ad quam humanitas Christi et mysteria in ea patrata comparantur tanquam instrumenta. Itaque de humanitate Christi necnon de mysteriis in ea patratis hic proprie quaeritur, inter quae duo eminent, scilicet passio et resurrectio, unde dubitatur utri virtus sacramentorum principaliter debeat attribui.

2. — PROP. I. — **Virtus salutifera sacramentorum a divinitate Christi per eius humanitatem in sacramenta derivatur.**

3. — **Probatur ratione theologica.** — Duplex distingui debet instrumentum, scilicet, unum quidem separatum, ut baculus, aliud autem coniunctum, ut manus. Et quidem humanitas Christi comparatur ad divinitatem tanquam instrumentum coniunctum; sacramentum autem tanquam instrumentum separatum; sacramentum enim, ut dictum est, operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Atqui per instrumentum coniunctum movetur instrumentum separatum, sicut per manum movetur baculus. Ergo oportet quod virtus salutifera a divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta derivetur.

4. — **Solvitur tacita obiectio.** — Nec obstat quod habet S. Augustinus [1]: *Verbum, prout erat in principio apud Deum, vivificat animas; secundum autem quod est caro factum, vivificat corpora;* unde videretur inferendum quod Christi humanitas nihil conferat ad sacramentorum virtutem, quae ordinatur ad causandam gratiam in anima, per quam spiritualiter vivit: — nimirum, verbum illud S. Augustini: *Verbum prout est caro factum*

1. Tract. XIX super Ioan., t. III, Par. II, col. 442, n. 1299.

vivificat corpora, non excludit quin caro Christi et mysteria in ea patrata operentur instrumentaliter ad vitam animae; sed sibi vult S. Doctor quod ad vitam corporis operata sunt non solum instrumentaliter, sed etiam per quamdam exemplaritatem [1]. Enimvero corpus, dum a morte suscitatur, non conformatur Verbo, bene tamen carni Christi, cui fit simile; et hoc sensu dicitur quod Verbum, ut Deus, vivificat animas; ut caro factum autem, vivificat corpora, licet tum ut Deus, tum ut homo, vivificet et animas et corpora, sed diversimode [2].

5. — PROP. II. — **Sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi.**

6. — **Auctoritas Patrum et Ecclesiae.** — Egregie S. Ioannes Chrystostomus veritatem hanc profitetur cum, loquens de vulneribus Christi in Cruce pendentis, ait; *Non casu et simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati: per aquam enim regenerati, sanguine et carne nutriti sunt. Hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas* [3].

Pariter legimus in Glossa ordinaria [4]: *Ex latere Christi dormientis in Cruce fluxerunt sacramenta, per quae salvata est Ecclesia.* In Concilio quoque Viennensi legitur [5]: *In natura assumpta, Dei Verbum, emisso iam spiritu, perforari lancea sustinuit latus suum; ut exinde profluentibus undis aquae et sanguinis, formaretur unica et immaculata ac virgo sancta Mater Ecclesia, coniux Christi.* Atqui praecise per sacramenta Ecclesia generatur et crescit.

1. Ad 1m. — 2. Cf. S. Thom., lect. V, super Cap. V Ioan. — 3. Homil. LXXXIV in Ioan., c. 19. — 4. Super illud Rom., V, 14: *In similitudinem praevaricationis Adae.* — 5. Clement., tit. de Summa Trin. et fide cath.

Quocirca eadem Ecclesia Christi vulnera unde tam pretiosus sanguis profluxit, ita affectuose salutat [1]:

Salvete Christi vulnera,
Immensi amoris pignora;
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis sanguinis.
Nitore stellas vincitis,
Rosas odore et balsama,
Pretio lapillos indicos,
Mellis favos dulcedine.
Per vos patet gratissimum
Nostris asylum mentibus
Non huc furor minantium
Unquam penetrat hostium.

7. — **Prob. ex signo.** — Scilicet, de latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt aqua et sanguis; quorum unum pertinet ad baptismum, et aliud ad Eucharistiam, quae sunt potissima sacramenta, cum baptismus sit ianua sacramentorum, et Eucharistia finis omnium. Sic quippe legimus [2]: *Unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.*

Sciendum autem est quod apud S. Ioannem, ut vidimus, primo nominatur sanguis, scilicet, propter ordinem dignitatis. Attamen, non perperam a quibusdam, post S. Augustinum [3], per sanguinem intelligitur pretium nostrae redemptionis, et per aquam baptismus, sub quo caetera sacramenta quodammodo comprehenduntur. Praeclara sunt sancti Doctoris Hipponensis verba: *Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus eius percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed* APERUIT; *ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vi-*

1. In Offic. Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. Hymnus ad laudes. — 2. Io., XIX, 34. — 3. Tract. CXX in Io., t. III, Par. II, col. 804.

tam, quae vere vita est non intratur. Ille sanguis, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum: haec et lavacrum praestat, et potum [1]. Igitur, hoc casu, primo ponitur sanguis, id est pretium, et postea eius applicatio [2].

8. — **Prob. rat. theol.** — Ab eo per quod praecipue Christus nos liberavit a peccatis et per quod initiavit ritum christianae religionis, ab hoc praecipue sacramenta virtutem suam obtinent. Atqui Christus Dominus nos a peccatis nostris praecipue liberavit per passionem suam, non solum efficienter et meritorie, sed etiam satisfactorie, ut alibi dictum est [3]; praeterea per passionem suam ritum christianae religionis initiavit, tradens seipsum *oblationem et hostiam Deo,* ut dicit S. Paulus [4]. Ergo Ecclesiae sacramenta specialiter virtutem suam habent ex Christi passione, cuius efficacia ad nos usque continuatur et nobis quodammodo copulatur per sacramentorum susceptionem.

Maior ostenditur ex ipsa sacramentorum ratione. Revera, gratia sacramentalis ad duo praecipue ordinar videtur, videlicet ad tollendos defectus praeteritorum peccatorum, inquantum transeunt actu et remanent reatu: et iterum ad perficiendam animam in his quae pertinent ad cultum Dei, secundum ritum religionis christianae. Ex eo igitur, per quod liberati sumus a peccatis, et per quod institutus est ritus religionis christianae, sacramenta Ecclesiae virtutem suam obtinent.

1. Cf. S. Ambros., l. X in Io. — 2. Scite advertit Knabenbauer (Comm. in Io., XIX. 34), modo narrandi Evangelistae non indicari utrum prius fluxerit, sanguisne an aqua: quae etiam simul fluxisse dici possunt. Nec plane constat quo pacto dicatur illud quod in officio Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., ex S. Ioanne Chrysostomo, recitatur (Lect. V): *Non ait: Exiit sanguis et aqua; sed, Exiit aqua primum et sanguis.* — 3. 3, Quaest. XLVIII, et XLIX. Cfr. tr. DE INCARNAT. VERBI, Vol. II, p. 267. — 4. Ephes., V, 2.

9. — **Scholion.** — Cum dicimus sacramenta Ecclesiae specialiter habere virtutem ex passione Christi, non excluditur, imo includitur virtus fidei quae, pro adultis, est necessaria dispositio ad debitam sacramentorum receptionem, non quasi sacramenta virtutem accipiant ex fide suscipientium, sic enim valerent ex opere operantis et non ex opere operato, sed quia fides in eis requiritur, ut ad eos usque continuetur virtus passionis Christi: unde ad causam materialem, non efficientem, fides pertinere dicenda est.

Re quidem vera, Christus habitat in nobis per fidem, ut ait S. Paulus [1]; unde virtus Christi in sacramentis contenta nobis copulatur per fidem. Licet autem fides nostra respiciat omnia mysteria humanitatis Domini Nostri, et principalius eius divinitatem, tamen virtus remissiva peccatorum speciali quodam modo pertinet ad passionem ipsius Christi; et ideo per fidem passionis eius homines liberantur a peccatis, secundum illud [2]: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius;* ideoque virtus sacramentorum, quae ordinatur ad tollenda peccata, praecipue est ex fide passionis Christi [3].

10. — **Quaestio.** — *Quisnam est sensus illorum verborum* [4]: (Christus) RESURREXIT PROPTER IUSTIFICATIONEM NOSTRAM?

Resp. Sensus non est quod sacramenta magis habeant virtutem a resurrectione Christi quam ab eius passione: nam resurrectio Christi non fuit meritoria resurrectionis nostrae. Sed sensus est quod Christi resurrectio extitit causa exemplaris resurrectionis nostrae, et insuper quod, ex Dei ordinatione, nisi Christus resurrexisset, iustitiam quam moriendo nobis meruerat, non essemus assecuti; quia nec datus fuisset Spiritus Sanctus, nec Apostoli missi fuissent ad praedicandum Evangelium, iuxta illud [5]: *Opor-*

1. Ibid., III, 17. — 2. Rom., III, 25. — 3. Ad 2m. — 4. Rom., IV, 25. — 5. Luc., XXIV, 46.

tebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in Nomine eius poenitentiam in remissionem peccatorum; et rursus [1]: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus* [2]. — Igitur dicendum est quod resurrectioni quidem attribuitur iustificatio ratione termini *ad quem,* qui est novitas vitae per gratiam; attribuitur autem passioni Christi ratione termini *a quo,* scilicet quantum ad dimissionem culpae, quo sensu intelligi debet illud [3]: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis* [4].

APPENDIX

De Auctoritate Glossae.

1. — Cum saepenumero a S. Thoma invocetur auctoritas Glossae, non inutile erit pauca hic de isto auctoritatis fonte edisserere. — *Glossa*, graeca vox, γλῶσσα, *linguam* significat. Est autem nomen analogicum, unde plures habet significationes. Primo enim significat membrum illud corporale, quod est loquelae instrumentum; postea metonymice usurpatur ad significandum idioma uniuscuiusque regionis proprium, aut etiam dialectos in uno alterove idiomate contentas. Denique extensum est hoc nomen ad indicandum commentarium quodcumque, seu explicationem rerum difficilium et obscurarum, unde *glossare* aliquem textum idipsum est ac illummet interpretari. Per antonomasiam vero nomen *Glossa* indicat commentarium in librum omnium praecellentem, scilicet Sacram Scripturam.

2. — Cum enim antiquitus mos esset commentaria in Sacram Scripturam edere ex locis celebriorum Patrum, quae

1. Io., VII, 39. — 2. 3, Quaest. LIII, art. 1. — 3. 1 Cor., VI, 11. — 4. Ad 3m.

commentaria *catenae* audiebant, maximam nacta est auctoritatem catena Walafridi Strabonis, cui nomen datum est *Glossa ordinaria,* ab omnibus auctoribus mediae aetatis, et maxime a S. Thoma, saepius citata. Constat huiusmodi Glossa locis depromptis ex operibus sanctorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Gregorii Magni, Isidori, Bedae, necnon Alcuini et Rabani Mauri, atque ex notis ipsius Walafridi Strabonis [1]. Serius ipsemet S. Thomas catenam composuit, quae propter sui excellentiam *aurea* dicta est.

3. — Ineunte autem saeculo duodecimo, Anselmus archidiaconus Laudunensis [2], inter lineas ipsius textus Sacrae Scripturae adnotationes quasdam inseruit, quae proinde dictae sunt *Glossa interlinearis.* Praeterea, saeculo XIV, adiectae sunt Glossae ordinariae etiam postillae [3] Nicolai Lirani, quae pariter nil aliud sunt quam novum commentarium in S. Scripturam.

4. — In voluminibus igitur Glossae, prouti nunc extant, praeter ipsum S. Scripturae textum, qui minimam spatii partem in medio paginae occupat, habentur, primo, Glossa interlinearis Anselmi Laudunensis; secundo, Glossa ordinaria Walafridi Strabonis in marginibus superiori et lateralibus, unde nomen *Glossae marginalis;* tertio, postillae Nicolai Lirani, in margine inferiori; quarto demum, in calce paginae, adsunt adnotationes ipsius Walafridi Strabonis.

5. — Extat opus illud monumentum perenne tum intensissimi studii quo maiores nostri, in Ecclesia catholica, Sacrae Scripturae libros iugiter sunt prosecuti, tum indefessae diligentiae qua conati sunt inclusum sub verborum

1. Obiit hic scriptor anno Dom. 849. — 2. Laudunum, Laon, in Gallia. Anselmus hic, in Universitate parisiensi professor, obiit a. D. 1117. — 3. Postillae, id est notae. *Sic autem maxime dicuntur notae marginales et perpetuae in Sacra Biblia, quae secundum verba currant, quasi* post illa verba, *quod haec subinde efferrent magistri, qui eiusmodi notas suis discipulis dictabant.* Du Cange, Lexicon mediae et infimae latinitatis, ad vocem *postilla.*

cortice sensum enucleare ad propriam aedificationem et Ecclesiae utilitatem.

Igitur, quod attinet ad fidei nostrae dogmata constabilienda, magna est Glossae auctoritas, tum ob auctoritatem Scripturae cui innititur, tum ob traditionis pondus quam repraesentat: licet utique deseri interdum debeat, si quando aut ab Ecclesiae definitionibus discrepans reperiatur, aut harmoniae fidei minime cohaerens: fons scilicet humanus est, non ex quo revelata veritas hauriatur, sed quo fidei depositum irrigari atqui excoli contingat.

Articulus VI. — *Utrum sacramenta veteris Legis causarent gratiam.*

1. — Ratio articuli. — In ultimo articulo S. Doctor comparationem instituit inter sacramenta veteris Legis et sacramenta novae Legis, inter quae sequentia assignari possunt differentiae capita. *Primum*, quia nostra, non illa, sunt a Christo immediate instituta; *secundum*, illa sunt signa sacramentorum nostrorum; *tertium*, in illis administrandis nulla determinata forma servabatur; *quartum*, nostra sunt faciliora et simul pauciora; *quintum*, sunt diversi ritus; *sextum*, illa sunt ad tempus imposita, nostra sunt usque in finem saeculorum duratura [1]. — At praeter istas differentias, quae potius accidentales sunt, quaeritur nunc proprie de differentia substantiali, inspecta scilicet virtute productiva gratiae.

2. — PROP. — Sacramenta veteris Legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad

1. Cf. Cat. Rom., P. II, c. I, n. 17. Vide etiam S. Augustin., in Ps. LXXIII, t. IV, col. 769; Ep. LXXXII, t. II, col. 192; l. XIX contra Faust., c. 13, t. VIII, col. 320; S. Thom., 1 2ae, Quaest. CI, art. 4; Quaest. CII, art. 5, ad 4m; Quaest. CIII, art. 2.

conferendam gratiam iustificantem, sicut habent sacramenta novae Legis.

3. — Auctoritas Conciliorum. — Imprimis, veritas haec ita expressa invenitur in Concilio Florentino [1]: *Illa* (sacramenta antiquae Legis) *non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; haec vero nostra* (sacramenta) *et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Pariter, in concilio Tridentino legitur [2]: (Homines) *usque adeo servi erant peccati, et sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturae, sed ne Iudaei quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi, inde liberari aut surgere possent.* Congruit et auctoritas Glossae [3]: (Lex) *dicitur infirma, quia perfecte non iustificat:* porro gratia perfecte iustificat: ergo sacramenta legalia gratiam non conferebant.

4. — Verba S. Pauli. — Huc autem faciunt verba S. Pauli [4]: *Nunc autem, cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa quibus denuo servire vultis?* — Ubi notandum quod, cum Galatae, ante suam conversionem ad christianam religionem, gentiles fuissent, ideo tunc non caeremoniis legalibus, sed idololatriae servierant: at ex quo a quibusdam christianis iudaizantibus allecti, ritus iudaicos sacramentis permiscere praesumebant, Apostolus testabatur illos denuo servire infirmis et egenis elementis, quasi illos reprehenderet quod novae Legis sacramentis ritus praeferrent gratia vacuos: ex quo sequebatur caeremonialium observantiam in eis par esse cum idololatria peccatum [5].

1. In Decreto pro Armenis. — 2. Sess. VI, cap. I decr. de iustif. — 3. Ordin. sup. Gal., IV. — 4. Gal., IV, 9. — 5. Cf. Dionys. Cartus., in h. l.

5. — **Patrum doctrina.** — Indubiam autem esse de hac re Ecclesiae traditionem evincit quod Patres de sacramentis veteris Legis scribunt, dum illa cum sacramentis novae Legis comparant. Sic S. Iustinus ait [1]: *Circumcisionem in signum, non ad iustitiam accepit* (Abraham), *ut Scripturae et res ipsae nos cogunt confiteri.* Pariter S. Ambrosius scribit [2]: *Signum, circumcisio corporalis; veritas autem circumcisio spiritalis est; illa membrum amputat, ista peccatum.* Denique audiatur S. Augustinus, qui ait [3]: *Alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem: sacramenta novi Testamenti dant salutem; sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.*

6. — **Prob. rat. theol.** — Si sacramenta veteris Legis habuissent in se vim conferendi gratiam iustificantem, hanc habuissent aut per seipsa, aut ex passione Christi. Atqui neutrum dici potest. Ergo non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad gratiam iustificantem infundendam.

7. — **Prob. minor per partes.** — *Primo,* sacramenta veteris Legis, per seipsa, id est propria virtute, non conferebant gratiam iustificantem; nam sic non fuisset necessaria passio Christi, secundum illud [4]: *Si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.*

Secundo, sacramenta veteris Legis non habuerunt ex passione Christi virtutem conferendi gratiam; et hoc patet ex differentia quae est inter fidem et sacramenta. Scilicet, fides antiquorum Patrum potuit habere vim iustificandi, quia fides est secundum interiorem actum animae, et sic fides in Christi futuram passionem potuit esse in inten-

1. Dialog. cum Triphone, n. 23, p. 128. Ven., 1747. — 2. Ep. LXXIV ad Iren., n. 4. t. V, col. 621. Cf. Comment. in Ep. ad Rom., c. IV, n. 83. t. III, col. 420. — 3. In Ps. LXXIII, n. 2. t. IV, col. 769. — 4. Gal., II, 21.

tione credentium, sicut nunc est in intentione fidelium: nam, ut ait S. Paulus [1], habemus *eumdem spiritum fidei* [2]. At sacramenta perficiuntur per actum exteriorem; et ideo non poterant habere vim iustificandi, nondum peracta Christi passione, ex qua suam efficaciam obtinent.

8. — **Explicatur.** — Ad huius rei evidentiam, sciendum est quod virtus passionis Christi nobis copulatur per fidem et sacramenta, differenter tamen. Nam continuatio quae est per fidem fit per actum animae, continuatio autem quae est per sacramenta fit per usum rerum exteriorum. Atqui nihil prohibet id quod est posterius tempore movere antequam sit, scilicet secundum quod praecedit in actu animae, sicut finis, qui est posterior tempore, movet agentem secundum quod est apprehensus et desideratus ab ipso. Sed illud quod nondum est in rerum natura non movet secundum usum exteriorum rerum; unde causa efficiens non potest esse posterior in esse ordine durationis, sicut causa finalis.

Sic ergo manifestum est quod a passione Christi, quae est causa humanae iustificationis, convenienter derivatur virtus iustificativa ad sacramenta novae Legis, non autem ad sacramenta veteris Legis; et tamen per fidem passionis Christi iustificabantur antiqui Patres, sicut et nos. Sacramenta autem veteris Legis erant quaedam illius fidei protestationes, inquantum significabant passionem Christi et eius effectus. Patet, igitur, sacramenta veteris Legis non habuisse in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem, sed solum significasse fidem, per quam homines iustificabantur.

9. — **Corollarium.** — Ex hoc patet quam longe a vero abfuerint Novatores, cum nullum fere discrimen inter

1. 2. Cor., IV, 13. — 2. Ad 1m.

sacramenta vetera et christiana, quod ad gratiae collationem attinet, agnoverint, sed illa, quemadmodum ista, eodem modo hominem iustificare pronuntiaverint, nempe nutriendo fidem. Quocirca respuenda est haec sententia Lutheri [1]: *Error est sacramenta novae Legis differre a sacramentis veteris Legis penes efficaciam significationis: utraque aequaliter significabant* [2].

APPENDIX I.

An sacramenta novae legis attingant ipsammet productionem gratiae, vel tantummodo dispositiones ad gratiam.

1. — Sententia S. Thomae iunioris. — S. Thomas, in priori suo opere, scilicet in Commentario in librum quartum Sententiarum [3], posuerat sacramenta non pertingere instrumentaliter ad gratiam producendam nisi dispositive, *in quantum hoc ad quod instrumentaliter effective pertingunt, est dispositio, quae est necessitas, quantum in se est, ad gratiae susceptionem.*

Sententiam hanc renovavit novissime Emus Card. Ludovicus Billot [4], dicens eatenus sacramenta dici causas efficientes gratiae, quatenus actione sua solum dispositive pertingant ad ipsam gratiae substantiam, addens, virtutem instrumentalem, per quam operantur, non esse physicam, sed potius intentionalem, utpote habentem adaequatum sui principium in institutione Christi legislatoris novi Testamenti. Postremum hunc conceptum ita exponit

1. L. de Captiv. Babyl., c. de Bapt. — 2. Cf. Bellarmin., l. II de Sacram., c. II, Supra, id est, Quaest. LXI, art. 3, n. 15, p. 77 de hoc argumento iam egimus, amplius de eodem acturi in Append. II ad hanc quaest. — 3. Dist. I, Quaest. I, art. 4, quaestiunc. V. — 4. De Ecclesiae sacram., de effectu sacram., thesis VII, Romae, 1907, p. 111.

cl. auctor [1]: *Eiusmodi virtus non est virtus physica, sed pure intentionalis, in institutione qua tali suam originem habens, quia intentio suapte vi id solum efficere potest, ut scilicet opus operatum substet institutioni Christi, et sit illud ipsum quod Christus per suos ministros fieri mandavit.*

2. — **Indubium est S. Thomam docuisse quod sacramenta ordinantur ad causandam gratiam instrumentaliter.** — Porro, dubitari nequit quin S. Thomas, quidquid in priori illo opere docuerit, senior et doctior factus, in Summa theologica [2] expresse et indubitanter doceat Deum, *actione sacramentali* quae fit per ministros, gratiam revera conferre, ipsamque actionem, gratiae productivam, esse tum Dei ut agentis principalis, tum sacramenti quo ille utitur tanquam instrumento ad talem effectum. Et quamvis sacramenta non contingant animam contactu physico, contingunt tamen illam contactu virtutis, quod sufficit ad causalitatem instrumentalem physicam salvandam, ut patet de humanitate Domini Nostri, in quantum est causa nostrae resurrectionis [3]. — Quocirca, cum, in interpretando S. Thoma, haec sit lex, ut si quando inveniantur priores eius positiones discordes ab iis quae senior factus asseruerit, aut illae deserantur, aut si fieri possit, intelligantur sub luce eorum quae posterius docuit, ideo, sedulo retento eo quod hic docet, scilicet sacramenta instrumentaliter producere gratiam in anima, aut praetermitti debet id quod posuit in praedicto Commentario in Magistrum sententiarum, aut explicari, quantum fieri potest, conformiter praesenti doctrinae. Quod autem ad mentem S. Thomae pertinet, scite advertit Card. Caietanus [4] quod S. Thomas in Summa theologica *longe al-*

1. Ibid., p. 130. — 2. Hoc loco. Idipsum habet in Quaestione XXVII *de Veritate*, art. 4. et in Quodlibeto XII, art. 15. — 3. Cf. 3, Quaest. LVI, art. 1, ad 3m. — 4. In 3, Quaest. LXII, art. 1.

tius sensit, expresse ponens gratiam gratum facientem a Deo principaliter et a sacramento instrumentaliter effici.

3. — Scholion. — Recentiori tempore, momentosum hoc novae Legis de physica sacramentorum causalitate argumentum erudito calamo ex professo evolvit R. P. Ed. Hugon, O. P., qui etiam sententiam Emi Card. Billot abunde discutit et confutat [1]. Placet hic referre verba, quibus auctor ille considerationem hanc concludit [2]: *Le Crucifié du Golgotha est devenu l'immortel vivant des siècles. Ses sacrements ne sont pas des reliques inertes, ils sont comme sa vie, ils sont ses propres actions, qu'il renouvelle toujours et partout. Les ministres et les sacrements sont les instruments sensibles, le Christ est celui qui parle, qui agit, qui consacre, qui absout, qui guérit. Voici un humble prêtre dans l'exercice de ses sublimes fonctions. Le monde, qui lui lance des injures et des sarcasmes, ne se doute pas que cet homme tient la clef du ciel et porte la vertu de l'infini. La majesté du temps et celle de l'éternité couvrent sa tête; il verse un peu d'eau, fait une onction, dit quelques paroles. Le sublime est là !... Ces actions, ces paroles sont saisies soudain par une puissance invisible, Dieu s'empare de ce signe, il en fait le véhicule de sa vertu, il le féconde, le remplit, le charge de vie surnaturelle, et, à l'instant où le rite saint touche le corps, le grâce touche l'âme et l'âme touche Dieu. Telle est la dignité du prêtre; voilà cette merveille des sacrements que l'intelligence humaine est incapable de comprendre et d'expliquer. Voilà les miséricordieuses inventions que Dieu renouvelle sans cesse, avec une incroyable prodigalité, en faveur de cette pauvre créature humaine qu'il a aimée jusqu'à l'excès !*

1. In op. La causalité instrumentale en théologie, c. IV, pp. 118, seq. Paris, 1907. — 2. Ibid., p. 150.

4. — Sacramenta revera producunt gratiam, et non solum dispositionem ad gratiam. — Quae cum ita sint, dicendum est sacramenta instrumentaliter producere, non solum dispositionem ad gratiam, sed maxime ipsammet gratiam. Et primo quidem, quod distingui debeat dispositio a gratia, sequitur ex ipsamet natura rei, cum nunquam inducatur aliqua forma, nisi in subiecto rite disposito: pertinet autem ad idem agens inducere formam et facere dispositionem ad formam. Deinde haec distinctio fundamentum est doctrinae de reviviscentia sacramentorum, ut docuimus in tractatu *de gratia:* nimirum, in tantum reviviscunt sacramenta, in quantum remanet aliquid, instar cuiusdam dispositionis aut tituli ad gratiam sacramentalem infundendam in anima [1], ut inferius ostendemus [2].

Igitur dicendum est, sacramenta novae Legis, ex mente S. Thomae et doctrina Ecclesiae, producere principaliter quidem gratiam, secundario vero dispositionem ad gratiam, qualis est, puta, character in sacramentis quae illum imprimunt, aut aliquid loco characteris in aliis sacramentis citra Eucharistiam.

5. — Munus characteris. — Porro, de charactere erit sermo ex professo in subsecutura quaestione: attamen, quod ad propositum nostrum attinet, iuvat ex nunc advertere quod character disponit ad gratiam non proxime et directe, nam directe disponit ad actus cultus

1. Tract. DE GRATIA, Quaest. CXIII, Appendix, § IV, n. 4, p. 361. — 2. App. II. Vix opus est ut lectorem moneamus ne doctrinam hanc confundat cum aliqua opinione agitata in Concilio Tridentino, quam describit Card. Pallavicinus (Dell' Istoria del Conc. di Trento, l. IX, c. V, n. 2): *Una sentenza di non so quale ornamento da tutti* (i sacramenti) *impresso nell'anime; ma sì, che da quattro sia impresso, tale che possa cancellarsi; da tre, sì, che non possa: sentenza non pur contrariata dall'altre Scuole, ma che in quell'ancora de' Tomisti ha pochi seguaci, e che S. Tommaso la concepette in gioventù, ma non l' educò in vecchiaia, come pur il Soave osserva.*

divini, sed exigitive, in quantum gratia necessaria est ad actus divini cultus rite ponendos. Re quidem vera, gratia est principalis effectus sacramentorum, et character secundarius; attamen, quia ea quae sunt cultus divini idonee non fiunt sine auxilio gratiae, ideo *ex consequenti divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam,* ait S. Thomas [1].

6. — **Sacramentum, res et sacramentum, et res tantum.** — Ad quod intelligendum, tria in omni sacramento distinguenda sedulo sunt: scilicet sacramentum tantum, res et sacramentum, et res tantum. *Sacramentum* tantum est aliquid visibile exterius exsistens, quod est signum interioris effectus. *Res et sacramentum,* in sacramentis characterem imprimentibus, est character, in aliis autem est aliquid interius disponens animam ad gratiam sacramentalem et faciens titulum ad sacramenti informis reviviscentiam; huiusmodi enim est simul res significata per signum visibile, et quoddam sigillum sacramentale interioris sanctificationis. Demum *res* tantum est gratia, quae est res significata et contenta, sed non est res significans.

Ubi recolendum venit quod alibi tradidimus [2], ubi scilicet ex professo declaravimus quid in unoquoque sacramento locum teneat *rei et sacramenti,* de qua re etiam inferius agemus [3]. Advertendum autem est quod, cum caetera sacramenta perficiantur in applicatione materiae ad hominem sanctificandum, Eucharistia tamen perficitur in ipsa consecratione materiae, ideoque id quod in ea est res et sacramentum, est in ipsa materia. Porro, huiusmodi distinctio inter sacramentum tantum, rem et sacramentum, et rem tantum, quam primus innuisse videtur

1. Infra, Quaest. LXIII, art. 4, ad 1m. — 2. Cf. Tract. DE GRATIA, p. 364. — 3. App. III, n. 4.

Hugo a S. Victore [1], et quam recenset Innocentius III [2], summi momenti est pro solvenda quaestione de reviviscentia effectus sacramentorum ficte susceptorum, de qua re mox nobis agendum erit [3].

APPENDIX II.

Quid sit sacramenta novae Legis gratiam conferre ex opere operato instrumentaliter.

1. — Ratio quaesiti. — Ad maiorem claritatem doctrinae de efficientia sacramentorum novae Legis, quo videlicet melius pateat horum excellentia prae sacramentis Legis veteris, iuverit hic recolere quid secumferat diu in Ecclesia consecrata formula, sacramenta a Christo Domino instituta gratiam conferre ex opere operato, quidve sub hoc respectu sit decernendum circa sacramenta legalia.

2. — Quid sit opus operatum. — Porro, opus operatum hic vocatur ipsa actio sacramentalis externa, quae consistit in applicatione formae ad materiam et utriusque ad suscipientem sacramentum. Vocatur autem *opus operatum* passive, quo sensu verbum *operatur*, ἐνεργεῖται, semel apud S. Paulum accipitur [4]. Porro, appellatio huiusmodi, licet tam antiqua non sit, usurpata tamen invenitur iam inde ab Innocentio III [5] necnon ab Alberto Magno [6] et ab ipso sancto nostro praeceptore [7], cuius

1. L. II de Sacram., P. VIII, c. 7, Quaest. LXXXV, in 1 Cor. Sentent. tr. VI, c. 3. — 2. Cap. *Cum Marta*, de celebratione Missae. Denz.-B., n. 415. — 3. Appendix III. — 4. Cf. Rom., VII, 5; Gal., V, 6; 1 Thess., II, 13; 2 Thess., II, 7. Scite advertit Estius (Comment. in Gal., V, 6) nunquam graecum verbum medium ἐνεργεῖσθαι, ne apud profanos quidem auctores, activa significatione legi, pro qua potius verbum ἐνεργεῖν in Scriptura invenitur positum. — 5. L. III de officio Missae. — 6. In Cap. VI Io. — 7. 4, Dist. I, Quaest. I, art. 5, quaestiunc. 3, sol. II.

verba digna sunt quae hic recitentur: *In sacramento est duo considerare: scilicet ipsum sacramentum et usum sacramenti. Ipsum sacramentum dicitur a quibusdam opus operatum; usus autem sacramenti est ipsa operatio quae a quibusdam opus operans dicitur. Cum ergo dicitur sacramentum, per se loquendo, gratiam conferre vel non conferre, iustificare vel non iustificare, referendum est ad opus operatum.* Igitur, opus operatum opponitur ei quod dicitur *opus operantis,* quo intelligitur ipsamet actio sive ministri, sive suscipientis sacramentum.

3. — **Quid sit sacramenta novae Legis gratiam conferre ex opere operato.** — Porro, de fide teneri debet sacramenta a Christo instituta, non ponentibus obicem gratiam conferre ex opere operato; legimus enim in Concilio Tridentino [1]: *Si quis dixerit, per ipsa novae Legis sacramenta, ex opere operato, non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, A. S.* Quibus verbis non aliud significatur, nisi quod supra positum est, scilicet sacramentis nostris virtutem inesse gratiae causativam instrumentaliter, ex Christi passione derivatam. Quapropter, etsi requiritur, in ministro quidem intentio, in suscipiente vero aliqua praeparatio, tamen cum dicuntur sacramenta nostra conferre gratiam ex opere operato, hoc sibi vult sacramentorum efficaciam pendere, tanquam ex causa effectiva gratiae, ex vi actionis sacramentalis a Christo institutae, minime vero sive ex dignitate ministrantis, sive ex dispositione suscipientis, quae potius se habent ex parte causae materialis, non efficientis. Simile quid invenitur, ait Sylvius [2], in iis quos Christus miraculose sanabat; a quibus licet requireretur ut crederent, sanitas

1. Sess. VII, can. 8 de Sacram. in genere. — 2. In h. quaest., art. 1, quaeritur II.

tamen non efficiebatur a fide illorum, sed a virtute aut verbo Dei, mediante instrumentalitate creaturae [1]. Ex adverso tamen, sacramenta non ita valent ex opere operato, quasi gratiam conferant seclusa Christi institutione, aut quasi nullam requirant in adultis suscipientibus dispositionem, ut catholicis haeretici imposuerunt.

4. — Opus operatum physice et moraliter. — At ulterius notandum est, id quod dicitur *ex opere operato*, dupliciter accipi posse: uno modo *physice*, alio modo *moraliter*. Et quidem sacramenta producere gratiam ex opere operato physice, est illa virtutem instrumentalem habere ad gratiam causandam, quod supra vindicavimus pro sacramentis nostris; sacramenta autem producere gratiam ex opere operato moraliter est, posito signo a Deo instituto, Deum ipsum immediata sua actione gratiam causare.

Quae cum ita sint, non inopportune hic quaeritur utrum et quisnam effectus attribui possit sacramentis veteris Legis ex opere operato.

5. — Duplex sanctificatio. — Ad hoc rite solvendum, distinguenda sunt duo genera effectuum: unum est sanctificatio quaedam legalis seu figuralis; aliud est sanctificatio interna, quae est per gratiam habitualem vel iustificantem. Priori modo sanctificari dicebantur aliqui ex hoc quod applicabantur cultui divino secundum ritum veteris Legis, qui totus ordinabatur ad figurandam Christi passionem. Altero autem modo sanctificatur homo per infusionem illius divinae qualitatis, qua anima redditur intrinsece deiformis, et capax operandi bonum ordinis supernaturalis.

6. — Quid praestiterint sacramenta veteris Legis. — Igitur, considerato hoc effectu, scilicet purgare ab

1. Cf. Op. n. DEL MIRACOLO, capo X.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

immunditia corporali, aut solvere a poena lege comminata, aut tollere inidoneitatem ad cultum divinum, quae ad instar cuiusdam irregularitatis quibusdam inerat, certe dici possunt sacramenta veteris Legis effectum suum produxisse ex opere operato, quatenus scilicet posita illa actione, effectus ex institutione divina, et quidem vi illius ritus, sequebatur. Sic legitur [1]: *Cumque sanctificasset eos* (Moyses scilicet, Aaron et filios eius) *in vestitu suo*, etc. [2]. At iustitia illa erat legalis, non vera; ideoque non habebat virtutem purificandi hominem ab immunditia mentis, quae est immunditia culpae, sicut dicit S. Thomas [3], qui etiam addit [4]: *Quia mysterium incarnationis et passionis Christi nondum erat realiter peractum, veteris Legis caeremoniae non poterant in se continere realiter virtutem profluentem a Christo incarnato et passo, sicut continent sacramenta novae Legis.*

Attamen, attento *opere operantis*, dici possunt illa sacramenta iustificasse suscipientes; nam, ut cum multis aliis argumentatur Sylvius [5], si iusti illius temporis merebantur gratiam et gloriam per quaelibet alia bona opera, cur non etiam per usum eorum sacramentorum quae et bona erant, et a Deo praecepta? Quapropter legimus [6]: *Factores legis iustificabuntur*, scilicet ob humilitatem et obedientiam operantium. Attamen talis iustificatio dici non poterat proprie sacramentalis, quia non erat ex vi sacramenti, ut tale est, sed iuxta meritum et dispositionem operantis.

7. — Sacramentum veteris Legis, quod fuit circumcisio, ordinabatur ad gratiam ex opere operato, non physice, sed moraliter. — Patet hoc ex iis quae apud sacros scriptores de huiusmodi ritu traduntur, de

1. Levit., VIII, 31. — 2. Hic, art. 6, ad 2m. — 3. I 2ae, Quaest. CIII, art. 2. — 4. Ibid. — 5. In h. l., art. 6, *An sacramenta*, etc. — 6. Rom., II, 13.

qua re haec habet Ven. Beda [1]: *Idem salutiferae curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere, revelatae tempore gratiae, consuevit.* Atqui circumcisio, ex divina institutione, signum extitit rituale, adnexa etiam formali gratiae promissione, ordinatum ad delendam maculam originis. Ergo cum fuerit de natura sua signum protestativum fidei in Christum venturum, sequitur quod, posito signo illo, Deus gratiam conferre debuerit: unde dicenda est circumcisio causasse gratiam ex opere operato moraliter.

Hoc quidem sensu intelligi possunt quae de circumcisione habent plures insignes Doctores, ut Scotus, Gabriel, etc., cum huic ritui tribuunt virtutem collativam gratiae.

Ceterum, quod dicunt sancti Patres, nimirum Abraham accepisse circumcisionem, non ad iustitiam, sed ad signum, id unum tantum evincit, huic sacramento physicam vim defuisse gratiam conferendi; moralem tamen ei infuisse innuit sanctus Paulus, dicens quod Abraham *signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiae fidei* [2]; ex quibus verbis concludit Angelicus [3], quod in circumcisione *conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi futurae.* Qui iterum haec habet [4]: *Fides aliena non iuvabat in quantum erat actus personae, sed ex parte illa qua respiciebat obiectum suum, scilicet Christum, quod erat medicina totius naturae; in quo habebat quamdam similitudinem cum sacramentis nostris, in quantum iustificabat ex obiecto, quasi ex opere operato, non autem ex opere operante* [5].

1. Homil. Circumcis., inter Homil. hyem. de Sanctis. — 2. Rom., IV, 11. — 3. Ad 3m. — 4. 4, Dist. I, Quaest. II, art. 6, quaestiunc. III, ad 2m. — 5. Cetera quae hic habet de Circumcisione sanctus Doctor, ad 3m, fusius postea exponentur, scilicet cum de hoc ritu ex professo tractabitur. Tr. DE BAPTISMO, quaest. LXX, art. 4.

8. — Quaestio. — *Utrum cetera veteris Legis sacramenta gratiam causarent ex opere operato moraliter?*

Resp. Probabiliter affirmative, nulla existente ratione cur id de circumcisione affirmetur et de ceteris sacramentis denegetur: unde cum Hugone de S. Victore dicimus [1], in his omnibus sacramentis opus operatum fuisse cum quadam protestatione fidei, et ideo indirecte et ex consequenti iustificare potuisse.

Nec obstat quod S. Thomas [2] negativam potius tenendam sententiam arbitretur, privilegium illud solummodo pro circumcisione admittens: nam rationes ab illo adductae minime cogunt. Dicit enim primo a sanctis Doctoribus veterem Legem agnitam fuisse tanquam occasionem mortis: at hoc fuit per accidens, non per se: per se enim Lex illa bona fuit, ducens ad vitam. Nec pluris valet quod obiicit idem S. Doctor, videlicet, si etiam sacramenta veteris Legis ordinata fuissent ad gratiam, nulla esset vel valde modica praeeminentia nostrorum sacramentorum ad illa sacramenta: enimvero, etiam illo concesso pro quo contendimus, magnae manent differentiae inter utraque sacramenta [3]: inter quas haec eminet, quod nostra sacramenta physice seu instrumentaliter, illa vero tantummodo moraliter ad gratiam ordinarentur: ex quo manat et alia profundior differentia, scilicet sacramenta nostra, mortuorum quidem, per se conferre gratiam cum sola attritione, vivorum autem idipsum facere per accidens, in homine scilicet peccati mortalis non conscio; sacramenta vetera autem, in suscipientibus adultis, gratiam non causabant, nisi praevia contritione perfecta, licet utique valerent ex se tanquam opera poenalia, et sic quodammodo disponentia ad iustificationem [4].

1. L. I de Sacram., p. 11, cc. 1 et 2. -- 2. 4, Dist., Quaest. I, art. 5, sol. I. — 3. Cf. supra, art. 6, n. 1, p. 121. — 4. Cf. S. Thom., loco cit., sol. II. — De sacramentis vet. Legis egimus supra, Quaest. LXI, art. 3, n. 15, p. 77; Quaest. LXII, art. 6; item tr. DE GRATIA, 1 2ae, Quaest. CXII, art. 1, n. 15, p. 233.

APPENDIX III.

De reviviscentia effectus Sacramenti ficte suscepti.

1. — Ratio dubitationis. — Ex auctoritate Conciliorum et sanctorum Patrum accipimus, sacramenta non ponentibus obicem gratiam conferre ex opere operato. Porro huiusmodi obex, qui theologice consuevit denominari *fictio,* licet effectum sacramenti principalem, qui est gratia, actu impediat, illum tamen non omnino frustrat, ut videre est in suscipiente baptismum sine debitis dispositionibus, id est sine saltem attritionis motu; talis enim, etsi actu non sanctificetur, aliquid tamen in anima percipit, unde possit, sublato impedimento, sanctificari: ut inferre licet ex hoc quod sacramentum baptismi denuo recipi nequit. Quapropter consonum est ut hic statuatur quid et quotuplex sit huiusmodi fictio, et quale iudicium sit proferendum circa sacramentum ficte susceptum.

2. — Quid et quotuplex sit fictio. — Porro fictio hic minime sumitur pro simulata intentione suscipiendi sacramentum, intentione revera deficiente: sic enim sacracramentum prorsus irritum maneret. Est igitur fictio carentia debitae dispositionis, et potest duplex esse: scilicet, alia *formalis,* qualis habetur in homine conscio huius indispositionis, alia vero *materialis,* quando suscipiens sacramentum, ex causa non graviter culpabili, non attingit ad illum gradum dispositionis, quae pro singulis sacramentis requiritur: prior vero fictio secumfert reatum culpae gravis, cum sic peccator formaliter indignus accedat ad sacramentum.

3. — Sacramenta ficte suscepta, remota fictione, reviviscunt. — Iamvero, ex traditione christiana accipimus

sacramenta, ficte suscepta, recedente fictione, sic revivi-scere, ut gratiam sacramentalem producant. Quod quidem certum est pro sacramentis characterem imprimentibus, et non improbabile pro reliquis, una excepta Eucharistia.

Huius veritatis apertus testis est S. Augustinus qui scribit[1]: *Sicut enim in illo qui fictus accesserat, fit ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione et veraci confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit: sic etiam qui baptisma Christi, quod non amiserunt qui se separaverunt, inimicus caritatis et pacis Christi, in aliqua haeresi aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata eius non dimittebantur, cum se correxerit, et ad Ecclesiae societatem unitatemque venerit, non iterum baptizandus est; quia ipsa ei reconciliatione ac pace praestatur, ut ad remissionem peccatorum eius in unitate iam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.* Huc facit tota de rebaptizantibus controversia, Ecclesia statuente validum, licet informe, dici debere baptisma haereticis formalibus collatum.

Ratio vero est quia sacramenta ad modum spiritualis generationis se habent. Quum autem aliquid in natura generatur, simul cum forma dantur effectus illam formam consequentes; qui, si impediantur, remoto iam impedimento, locum actu obtinent, sicut cum corpus grave producitur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto, statim incipit corpus moveri deorsum.

Hoc autem supponit sacramenta vim physicam retinere, recedente fictione, pro iis quidem sacramentis quae characterem imprimunt in ipso charactere et in voluntatis determinatione, pro sacramentis quae characterem non imprimunt, excepta, ut dictum est, una Eucharistia. Unde

1. L. I de Bapt. contra Donatistas, C. XII, n. 18, t. IX, col. 89.

S. Thomas docet quod in baptismo imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam; et ideo cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quae effectum characteris impediebat, character, qui est praesens in anima, incipit habere suum effectum, et ita baptismus, recedente fictione, suum effectum consequitur [1].

4. — Qua ratione sacramenta ficte suscepta reviviscunt. — Ad determinandum autem quanam ratione sacramenta reviviscant, attendendum est ad enunciatum principium, scilicet, characterem, aut dispositionem a sacramento in voluntate impressam, esse causam proximam reviviscentiae effectus sacramenti.

Igitur, discurrendo per singula sacramenta, dicimus *baptismum,* recedente fictione, illum effectum habere quem prius habuisset si fictio abfuisset: unde remittit peccata praecedentia baptismum et quoad culpam et quoad poenam; peccata vero subsequentia remittuntur per poenitentiam [2]. Porro, cum huiusmodi reviviscentia fiat in virtute characteris, qui se habet dispositive ad donum gratiae, idipsum dicendum est et de *confirmatione* et *de ordine,* quae sacramenta pariter characterem imprimunt.

Quoad caetera sacramenta, quae scilicet characterem non imprimunt, locum characteris tenet illudmet quod rationem habet *rei et sacramenti:* quod quidem in *poenitentia* est interior peccatoris poenitentia [3]; in *extrema unctione,* quaedam interior devotio, quae est spiritualis

1. Cf. quae scripsimus in Tr. DE GRATIA, p. 359, seqq. — 2. Dist. IV, Quaest. III, art. 2, vol. 3, ad 2m, Cf. Tr. n. de Baptismo, Quaest. LXIX, art. 10. — 3. In Tr. DE GRATIA (p. 362) fuse exposuimus rationes ob quas tenendum est poenitentiam, ficte susceptam, reviviscere, agendo tamen de fictione tantum materiali; fictio enim formalis sacramentum poenitentiae invalidum reddit, cum huius sacramenti materia sint actus poenitentis, qui, ut tales sint, humano more, id est recta intentione, poni debent. De hoc autem uberius agitur in apposito tr. DE SACRAMENTO POENITENTIAE, P. II, Quaest. II, art. 7.

unctio; in *matrimonio*, nexus quidam, qui est coniugalis copula. — Cum autem in *Eucharistia*, id quod est res et sacramentum sit in ipsa materia, ideo in hoc sacramento, quatenus homini applicatur, peracta actione sacramentali, nihil remanet, ideoque sacramentum hoc minime reviviscit.

5. — **Adnotandum circa sacramentum Eucharistiae.** — Circa hoc ultimum sacramentum, notandum, frustra obiici casum quo peccator, de proprio reatu conscius, Eucharistiam receperit, qui tamen antequam species consumantur, de peccatis doleat per perfectam contritionem: tunc quippe gratiam santificantem accipiet, formaliter per actum perfectae contritionis, minime vero per reviviscentiam sacramenti, quae tunc tantum habetur, cum inducitur effectus gratiae sacramentalis, sacramento ipso non amplius existente in vi illius dispositionis, quam sacramentum ipsum induxerit in anima, quae tamen hic abest, ut diximus [1].

1. Cf. Tr. DE SS.MA EUCHARISTIA, Vol. I, p. 409. Quaest. LXXX, art. 1, n. 5.

QUAESTIO QUARTA
(LXIII)

DE EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER

Prologus.

1. — Ratio huius quaestionis. — Cum Dominus noster sit non solum rex et propheta, sed etiam sacerdos, populum suum sanctificare debuit: hoc enim ad sacerdotis officium pertinet. Atqui ad sanctitatem non solum requiritur animi munditia, sed etiam firmitas quaedam: unde apud antiquos sancta dicebantur, quae legibus erant communita, ut violari non deberent, nam et dicitur aliquid esse sancitum, quia est lege firmatum [1]. Porro, firmitas huiusmodi, quae generali modo in gratia sanctificante clauditur, speciali quadam ratione invenitur in quibusdam sacramentis a Christo institutis formaliter in hunc finem, ut homo ad vitam aeternam regeneratus fixe et immobiliter deputaretur ad divina: et hoc est character, qui est *veluti insigne quoddam animae impressum quod deleri nunquam potest eique perpetuo inhaeret* [2], qui, ponitur secundarius effectus sacramentorum, per quem homines quodammodo fiunt participes sacerdotii Christi.

2. — Ordo quaestionis. — Porro, agentes de charactere, illum considerare debemus, primo quidem generaliter

1. 2 2ae, Quaest. XLXXI, art. 8. — 2. Cat. Rom., P. II, C. I, n. 30.

scilicet independenter ab hoc vel illo sacramento (1-5), secundo autem particulariter, id est secundum quod ponitur effectus quorumdam tantum sacramentorum (6). Generalis autem characteris consideratio duo iterum complectitur: unum, de charactere in se et absolute inspectum (1-4), alterum de illius duratione seu indelebilitate (5). Rursus, de charactere in se et absolute inspecto inquiri debet, tum an sit (1), tum quid sit, inspectis diversis eius causis (2-4). Quae quidem causae sunt, primo quidem, causa formalis, secundum quam de re quaeritur quid sit in semetipsa (2); secundo causa finalis (3), et tertio causa materialis in qua (4).



Hinc sex in hac quaestione quaeruntur.

Primo. Utrum ex sacramentis causetur character aliquis in anima.

Secundo. Quid sit ille character.

Tertio. Cuius sit character.

Quarto. In quo sit sicut in subiecto.

Quinto. Utrum insit indelebiliter.

Sexto. Utrum omnia sacramenta imprimant characterem.

ARTICULUS I. — *Utrum sacramentum imprimat characterem in anima.*

1. — Quid per characterem intelligatur. — Character, χαρακτήρ, nomen graecum est, quod latine non incongrue redditur *forma* seu *figura;* sic quippe quod a S. Paulo dicitur de Verbo: ὃς ὢν... χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, in Vulgata nostra transfertur: *Qui cum sit... figura substantiae eius.* Significat igitur character sigillum quoddam vel quamdam signationem, qua quis ad aliquid determinatum deputatur; quo modo consueverunt antiquitus consignari ii qui ad militiam adscribebantur, qui proinde solebant per candens ferrum stigmate indelebili insigniri. Hoc sensu magnus Apostolus gloriabatur se Christi sigillum in corpore suo portare, dicens [1]: *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto* [2]. Ex quo iam patet duo esse de conceptu characteris: primo, ut sit signum distinctivum; et secundo, ut sit quodammodo indelebile.

2. — Quid sit character sacramentalis. — At licet character, in primaeva impositione nominis, significet notam aliquam sensibilem et corporalem, a theologis tamen translatum est nomen hoc ad significandum signum

1. Gal., VI, 17. — 2. Per *stigmata* hic intelligi debet non similitudo cicatricum Christi morientis, qualis quibusdam Sanctis, ut Francisco Assisiensi et Catharinae Senensi legitur divinitus concessa; sed impressio virgarum, catenarum, etc., quas S. Paulus ob Christum passus erat; quod tamen cum charactere sacramentali aliquam habet analogiam.

spirituale et indelebile, quod resultet ex signo visibili divinitus instituto, seu sacramentali [1]. Quocirca, character sacramentalis est quoddam signum spirituale, animae indelebiliter impressum, quo aliqui homines deputantur ad actus convenientes praesenti statui Ecclesiae, et quo a caeteris hominibus discernuntur.

Diximus quod per characterem homines deputantur ad *actus convenientes praesenti Ecclesiae:* nam distinctio membrorum Christi ab aliis, quantum attinet ad praemium futurae gloriae, fit per aliud signaculum, quod est aeterna praedestinatio, quae non ponit aliquid in praedestinato, sed solum in Deo praedestinante: dicitur enim [2]: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt eius* [3].

3. — PROP. — **Cum homines per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale, pertinens ad cultum Dei, consequens est quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur.**

4. — **Auctoritas Ecclesiae.** — Haec propositio *de fide* est tenenda: sic quippe in Concilio Florentino legitur [4]: *Baptismus, confirmatio et ordo... characterem, id est spirituale quoddam signum, a ceteris distinctivum imprimunt in anima indelebile.* Idipsum habetur in Concilio Tridentino [5].

Huc pertinet locus ille Apostoli [6]: *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris,* Ὁ δὲ... χρίσας ἡμὰς Θεός, ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμὰς καὶ δοὺς τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. Revera, nihil aliud importat character, quam quamdam signationem, quae quidem signatio hic dicitur impressa per unctionem, quae pro fidelibus com-

1. Cf. ad 2m. — 2. 2 Tim., II, 19. — 3. Ad 1m. Cf. Cat. Rom., P. II. c. I, n. 30. — 4. Decret. pro Armenis. — 5. Sess. VII. Can. 9 de Sacram. in genere. — 6. 2 Cor., I, 21, 22.

muniter primo confertur in baptismo, et secundo in confirmatione.

5. — **Patrum testimonia.** — Egregia sunt quae de charactere edisserunt Patres. Sic S. Basilius [1]: *Nisi characterem in te agnoscat angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis te vindicabit? Quo modo, inquam, dices: Dei sum, signa non ostendens?* Pariter, a S. Cyrillo Hierosolymitano [2], vocatur baptisma *signaculum sanctum et indelebile*, σφραγὶς ἁγία ἀκατάλυτος; qui rationem dat, quia *Spiritus Sanctus obsignat animas in baptismo* [3]. Nec minus diserte S. Ambrosius [4]: *Etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus Sanctus exprimat in nobis imaginis caelestis effigiem.*

At eloquentius adhuc de charactere disserit S. Augustinus, cum ait [5]: *Si forte illum militiae characterem in corpore suo non militans paridus exhorruerit, et ad clementiam imperatoris confugerit, ac prece fusa et impetrata iam venia, militare iam coeperit, numquid homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus haerent sacramenta christiana, quam corporalis haec nota, cum videamus nec apostatas carere baptismate,* etc.? Qui etiam de malo baptizato loquens, ait [6]: *Puta te esse militarem, si characterem imperatoris tui intus habeas, securus militas: si extra habeas, non solum tibi ad militiam non prodest character ille sed etiam pro desertore punieris. Characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur.* Et alibi [7], intro-

1. Homil. XIII in sanctum baptisma, n. 4. — 2. In Procatechesi, n. XVI, p. 12. — 3. Catech. IV, n. 16, p. 59, et XVI, n. 12, p. 249. — 4. L. I de Spiritu S., c. 6, n. 72. t. IV, col. 773. — 5. L. II contra Ep. Parmeniani, c. 13, t. IX, col. 45. — 6. Tract. VI in Io., n. 15, t. III, p. II, col. 337. — 7. Sub fine ep. CLXXXV, seu lib. ad Bonif., n. 43 t. II, col. 660.

ducit malum christianum dicentem sibi: Quare me non baptizas, ut abluas me a peccatis? Cui respondet: *Quia non facio iniuriam characteri imperatoris, cum errorem corrigo desertoris*[1]. Huc quoque pertinent omnia quibus S. Augustinus, contra Donatistas disputans, docet baptismum communem esse bonis et malis, nec iterari posse vel amitti.

Omnino quoque tacendus non est S. Ioannes Damascenus[2]: *Et nunc quidem Spiritus Sancti primitias per baptismum accipimus, et regeneratio, alterius nobis vitae initium, et signaculum et praesidium et illuminatio efficitur.* Νῦν μὲν οὖν διὰ τοῦ βαπτίσματος τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαμβάνομεν, καὶ ἀρχὴ ἑτέρου βίου γίνεται ἡμῖν ἡ παλιγγενεσία, καὶ σφραγίς, καὶ φυλακτήριον, καὶ φωτισμός. Gratianus quoque haec habet[3]: *Ovem, quae foris errabat, et dominicum characterem foris accipiebat, venientem ad christianae unitatis salutem, ab errore corrigi* (debere), *characterem tamen dominicum in ea agnosci potius, quam improbari.* Idem denique docuit Summus Pontifex Innocentius III[4].

6. — **Scholion.** — Ex his patet, nonnisi per calumniam a Luthero dictum fuisse, doctrinam theologicam de charactere esse commentum ac fictionem novorum theologistarum. Esto enim Patres nomen *character* non semper adhibuerint, aliis tamen aequivalentibus, nec dubiis nominibus usi sunt, puta cum illum aequiparant cauterio ovium, sigillo in cera; aut illum nominant *sigillum, tesseram fidei, sigillum infragile,* etc.

7. — **Prob. rat. theol.** — Qui ad aliquid deputantur, consueverunt ad illud consignari. Atqui sacramenta novae

1. Cf. L. I Contra Crescon., n. 35, c. 30, t. IX, col. 406; L. VI de bapt., c. 1. — 2. L. IV de Fide orthod., c. 9 t. I, p. 261. — 3. De consecrat., D. IV, c. 41. — 4. Cap. *Maiores,* tit. de Baptismo.

Legis non solum ordinantur ad remedium contra peccata, sed etiam ad perficiendam animam in his quae pertinent ad cultum Dei, secundum ritum christianae vitae; et quidem per quaedam sacramenta homines irrevocabiliter deputantur ad aliquid sacrum, vel recipiendum, vel agendum. Ergo decet eos spirituali quodam signo ad hoc consignari [1].

8. — **Solvitur difficultas.** — Signum est id quod, praeter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire [2]. Atqui eorum quae sunt in anima, nihil est quod aliquam speciem sensibus ingerat. Ergo in anima non imprimitur aliquis character per sacramenta.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.*: ut sunt in anima, *conc.;* ut in anima resultant ex signo quadam corporali quocum intime connectuntur, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Revera, character animae impressus rationem habet signi, in quantum per sensibile sacramentum imprimitur. Per hoc enim scitur aliquis esse baptismali charactere insignitus, quod est ablutus aqua sensibili [3].

9. — **Quaestio.** — *Utrum sacramenta veteris Legis characterem impresserint?*

Resp. Negative. Nam licet per antiqua sacramenta, tanquam per iustitias carnis [4], discernerentur illi qui erant in populo Dei ab aliis, quia tamen non habebant illa sacramenta in se spiritualem virtutem ad aliquem spiritualem effectum instrumentaliter producendum et nihil interius efficiebant, ideo in illis non requirebatur aliquis spiritualis character; sed quia, ut ait S. Thomas [5], populus ille in pascuis corporalibus pascebatur, ideo eum

1. Cf. Gregor. Nazianzen., orat. 40; S. Epiphan., Haeresi IX et XXVIII. — 2. S. Augustin., l. II de Doctrina Christ., circa princ. — 3. Ad 2m. — 4. Hebr. IX. — 5. Lect. V in Cap. I ad Ephes.

Dominus corporali circumcisionis signo separavit et distinxit ab aliis, quod signum proinde Apostolus [1], nominat *signaculum* [2]. Attamen nihil vetat quominus cernamus in circumcisione figuratum characterem, ut ait Bellarminus, figuratum, inquam, seu translatitium: haec enim erat signaculum in corpore, character autem est in anima [3].

10. — Doctrina Card. Caietani. — Ad rem nostram faciunt quae commentatur Card. Caietanus: *Rationabile est,* ait [4], *ut homines, qui a principibus mundi huius consueverunt ad corporalia corporali nota insigniri, cum a Deo ad perennem spiritualem cultum secundum animam deputantur, spirituali signo signentur in anima: sic enim divinam providentiam disponere homines suaviter invenitur, ut scilicet proportionaliter insigniantur secundum animam a Deo, sicut secundum corpus consueverunt a principe humano.* — Attamen, minime probanda sunt quae hic auctor protulit, dum putans rebaptizantium quaestionem ortam esse ex hoc quod nondum statuta esset in Ecclesia doctrina de charactere, scripsit aliquando: *Adverte hic,... quod sacramenta imprimere characterem ex Sacra Scriptura non habetur; sed ab Ecclesiae auctoritate, et non multum antiqua, ut patet ex sacris canonibus, et priscis quaestionibus Patrum de reiteratione baptismi; quae locum non haberent, si Ecclesia iam determinasset, imprimi in anima characterem per baptismum.* — Re quidem vera, non hinc procedebat contentio eorum qui baptismum reiterandum proclamabant, quod nescirent hoc sacramento characterem imprimi, sed quia putabant baptismum, sive a malo ministro, sive extra Ecclesiam

1. Rom., IV, 11. — 2. Ad 3m. — 3. L. II de Sacram., c. 20. — 4. Hoc loco.

collatum, omnino irritum esse. Ceterum, verba haec celebris Cardinalis, in editione eius operum iussu S. Pii V Romae adornata, exspuncta sunt.

ARTICULUS II. — *Utrum character sit spiritualis potestas.*

1. — Ratio articuli. — Statuto iam, secundum fidei principia, per quaedam sacramenta, imprimi in anima characterem quemdam, quo homo deputetur ad cultum Dei secundum ritum christianae religionis, sequitur ut propria illius natura investigetur, et quidem, prouti consideratur secundum se: nam, si comparetur ad sacramentum sensibile, a quo imprimitur, habet rationem signi, et pertinet ad rationem effectus [1]. Igitur quaestio est de charactere in seipso inspecto, et sciri vult ad quodnam praedicamentum reducatur: quae quidem quaestio utilitate non vacat, cum nos sponte perducat ad plenius cognoscendam dignitatis humanae conditionem [2]. — Quoniam vero de hac re invenitur penes theologos dissensio [3], ideo primo loco operae pretium erit declarare quonam sensu character vocari consueverit res et sacramentum.

2. — Character est res et sacramentum. — Nimirum, quatenus ponitur ut effectus internus ritus sacramentalis externi, character vocatur res, sumpto hoc nomine transcendentali, *res*, pro effectu determinato; quatenus vero res ista, quae est character, prouti exurgit

1. Ad 4m. — 2. Ad pleniorem intelligentiam doctrinae hic traditae, utiliter recolet rerum theologicarum diligens investigator ea quae tradit noster GHERARDUS BALDI, in op. Institutionum logicalium Parte priore, cc. III et seq. — 3. Hic optime quadrat quod recitat CARD. PALLAVICINUS (Dell'Istoria del Concilio di Trento, l. IX, c. V, n. 2): *In tali materie adunque il* SE È, *appartiene a certezza di fede: il* CHE È, *ad esercizio d'ingegno.*

ab illo ritu a quo imprimitur, signum est principalis effectus, qui est gratia, vocatur *sacramentum:* unde dicitur *res et sacramentum* simul, ut distinguatur ab eo quod est *sacramentum tantum*, quod est signum rei sacrae quatenus est sanctificans homines, necnon ab eo quod est *res tantum*, quod est gratia.

3. — Character non est substantia. — Inquisituri modo quid proprie sit character sacramentalis, percurrere praedicamenta debemus. Ubi statim excludi debet quod character sit substantia, cum apud omnes satis conveniat, substantiam informare non posse animam, sicut eam informat character [1]. Quocirca excludenda omnino est haec Rosminii positio [2]: *In christiana doctrina, Verbum, character et facies Dei, imprimitur in animo eorum qui cum fide suscipiunt baptismum Christi. Verbum id est character in anima impressum, in doctrina christiana, est Esse reale (infinitum) per se manifestum, quod deinde novimus esse secundam personam Sanctissimae Trinitatis* [3].

Quae cum ita sint, manet solvenda quaestio, ad quodnam praedicamentum accidentale reduci debeat character sacramentalis. At prius excludi debet novatorum error de hac re.

4. — Novatorum error. — Nimirum, cum statuissent novatores, hominem baptizatum distingui a non baptizato per externam tantummodo denominationem, id est, per connotationem ad baptismum receptum, consequenter nil aliud in charactere agnoverunt, nisi figmentum quoddam rationis apprehendentis subiectum illius sacramenti tanquam in speciali categoria positum. — No-

1. Cf. de hoc quod diximus in tr. DE GRATIA, Quaest. CX, art. 2, n. 2, p. 106. — 2. Prop. XXVIII inter XL condemn., 14 Dec. 1887. — 3. Introduz. alla Filosof., n. 92. Cf. Rosmin. prop. trutina theol., prop. 28

vatoribus praeiverat Durandus, asserens characterem esse solam relationem rationis cointellectam cum externa deputatione ad munera cultus divini. — Contra quos sit.

5. — PROP. I. — **Character non est ens rationis.**

6. — **Prob.** — Illud quod hominem aptum reddit ad aliquid sacri suscipiendum vel peragendum, et quo unus homo ab altero internosci potest, non est ens rationis. Atqui *baptismi quidem charactere*, ait Catechismus Romanus[1], *utrumque consequimur: ut ad alia sacramenta percipienda reddamur idonei, et eo praeterea fidelis populus a gentibus, quae fidem non colunt, distinguatur*. Idem autem proportionaliter dicetur de confirmatione et de ordine, quae sacramenta characterem imprimunt. Ergo character non est ens rationis, sed est ens quoddam reale: unde rite vocatur *res et sacramentum*. — *Confirmatur*, ex eo quod, tum voce Ecclesiae, tum dictis Sanctorum colligitur, characterem *imprimi* in anima christiani. Atqui ens rationis incongrue omnino dicitur imprimi.

Nec valet obiici, deputationem a rege factam ad aliquod ministerium nihil reale in ministro imprimere: est enim magnum inter Deum et homines discrimen, quod hi ministros idoneos supponunt, Deus autem illos facit.

Quae ita cum sint, videndum nunc est in quonam praedicamento reponi debeat character.

7. — PROP. II. — **Character non est relatio realis.**

8. — **Exponitur.** — Quibusdam visum est characterem poni posse in genere relationis, eo quod character baptismalis dicitur signum sanctum communionis fidei. — At,

1. P. II, c. I, n. 31.

primo, advertendum est quod relatio, quae importatur in nomine signi, oportet quod supra aliquid fundetur: relatio autem huius signi, quod est character, non potest fundari immediate super essentiam animae; quia sic conveniret omni animae naturaliter; et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio, et hoc est essentia characteris: unde non oportebit quod sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt [1].

Ubi, ut videtur, relationem sumimus secundum esse: nam quod character et homo habens characterem sint relativa secundum dici, ambigendum non est: at haec vere relativa non sunt [2].

9. — Character est qualitas. — Hoc igitur excluso, cum non videatur ad quodnam aliud praedicamentum, praeter qualitatem, character possit pertinere, iam non restat, nisi ut dicatur esse qualitas, ab anima eiusque potentiis realiter distincta, cum relatione signi ad rem signatam. At quadruplex est qualitatis species: habitus et dispositio, potentia et impotentia, passio et patibilis qualitas, forma et figura. Videndum est ergo, et quidem per exclusionem, ad quamnam qualitatis speciem reduci character debeat.

10. — PROP. III. — Character non est habitus.

11. — Prob. — Nullus habitus est, qui se possit ad bene et male habere. Atqui character ad utrumque se habet: utuntur enim charactere quidam bene, alii vero male, quod in habitibus non contingit; nam habitu virtutis nullus utitur male, et habitu malitiae nullus bene. Ergo character non est habitus. — Accedit quod habitus potest intendi et remitti; non autem character. Ergo character non est nec fides, nec caritas, quae sunt habitus, cum etiam sine his character esse possit.

1. Ad 3m. — 2. Baldi, c. III p. 88.

12. — **Solvitur Suarezii difficultas.** — Contra primam rationem adductam, quae est S. Thomae in textu [1], sic arguit Suarez: Dupliciter intelligi potest nullum habitum se habere ad bene et male: vel in genere moris, et tunc falsum est, cum scientia et ars, exempli gratia, se habeant ad bene et male, vel in materia propria cuiusque habitus, et verum est, sed sic character semper se habet bene, scilicet cum det adimplere ea quae pertinent ad cultum Dei. — Ergo non concludit S. Thomae argumentum

Resp. Argumentum S. Thomae utique concludit. — Primo quidem, licet falsum sit principium de illis habitibus vel mere intellectualibus, vel physice tantum practicis, verum tamen est de habitibus moraliter practicis; atqui character est ens moraliter practicum. Secundo, cum propria characteris ratio sit perfectio hominis in ordine ad cultum divinum debite praestandum, constat charactere aliquem bene vel male uti posse, secundum quod ille, charactere insignitus, bene vel male se habeat ad hunc effectum divini cultus producendum.

13. — PROP. IV. — **Character non est passio.**

14. — **Prob.** — Passio cito transit. Atqui character est indelebilis, ut infra dicetur [2]. Ergo character non est passio [3].

15. — **Solvitur difficultas.** — Character interdum lumini comparatur, ut in hoc auctoris libri DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA [4]: *Divina beatitudo accedentem ad baptismum in sui participationem recipit; et proprio suo lumine, quasi quodam signo, ipsi tradit suam participationem:* et antiquitus baptismus illuminatio appellari consuevit. Atqui lumen ad tertiam speciem qualitatis videtur pertinere, quae est passio. Ergo character est passio.

1. Arg. *Sed contra.* — 2. Art. 5. — 3. *Sed contra.* — 4. C. 2.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* lumen sensibile, *conc.;* lumen spirituale, *nego. Nego conseq. et conseq.* — In tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passiones, vel sensibiles qualitates: character autem non est lumen sensibile: et ideo non est in tertia specie qualitatis, ut quidam dixerunt [1].

16. — PROP. V. — **Character non est figura, quae est in quarta specie qualitatis.**

17. — **Prob.** — Figura est quaedam terminatio quantitatis; unde, proprie loquendo, non est nisi in rebus corporeis; in spiritualibus autem dicitur metaphorice: non autem ponitur aliquid in genere vel specie, nisi per id quod de eo proprie praedicatur; et ideo character non potest esse in quarta specie qualitatis, licet hoc quidam posuerint [2].

18. — PROP. VI. — **Character importat quamdam potentiam spiritualem, ordinatam ad ea quae sunt divini cultus.**

19. — **Prob.** — Animae perfectio per quam homo deputatur ad ea quae sunt divini cultus secundum ritum christianae religionis, importat quamdam potentiam spiritualem. Nam divinus cultus consistit vel in recipiendo divina, vel in tradendo ea aliis; ad utrumque vero requiritur aliqua potestas: nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia activa; ad recipiendum vero requiritur potentia passiva. Illud ergo, per quod perficitur homo secundum animam ad ea quae sunt divini cultus, importat potentiam activam vel passivam respectu eorum quae pertinent ad divinum cultum. Atqui character est quaedam perfectio animae, per quam homo deputatur ad ea quae

1. Ad 2m. — 2. Ad 1m.

sunt divini cultus secundum ritum christianae religionis; unde auctor libri *de Ecclesiastica Hierarchia* [1], cum dixisset quod *Deus in quodam signo tradit sui participationem accedenti ad baptismum,* subiungit: *Perficiens eum divinum et communicatorem divinorum.* Ergo character importat quamdam potentiam spiritualem in anima ordinatam ad ea quae sunt divini cultus.

20. — **Confirmatur.** — Praestat hic egregia verba Card. Caietani adferre [2]: *Cum character sacramentalis sit formaliter potentia* (*est enim baptismalis character, quo per se primo homo potest recipere sacramenta reliqua, ut patet, et similiter character ordinis, quo primo minister Ecclesiae, puta, sacerdos, potest conficere Eucharistiam, etc.*), *et sit supernaturale accidens impressum animae, consequens est, ut sub illo genere accidentium formaliter locetur, quod potentias activas vel passivas continet, quod constat solum qualitatis genus esse, et unam illius speciem, secundam scilicet.*

21. — **Characteris officium.** — Pulcre characteris officium describit S. Basilius [3]: *In acie duces tesseram tribuunt sub se militantibus, ut et amici facile se invicem inclament, et si in conflictu fuerint cum hostibus commixti, queant citra confusionem seiungi. Agnoscet te nemo, nosterne sis, an hostium, nisi mysticis signis necessitudinem affinitatemque ostenderis.* »

22. — **Quaestio.** — *Qualis est huiusmodi spiritualis potestas, quae est character?*

Resp. Spiritualis potestas, quae est character, est potentia instrumentalis, sicut etiam dictum est de virtute, quae est in sacramentis [4]. Etenim, habere characterem

1. C. 2. — 2. In h. l. S. Thomae. — 3. Homil. XIII in S. Bapt., n. 4. — 4. Supra, Quaest. LXII, art 4.

sacramenti competit ministris Dei; minister autem habet se per modum instrumenti. Ex hoc sequitur quod, sicut virtus quae est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens et incompletum; ita etiam character non proprie est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

Articulus III. — *Utrum character sacramentalis sit character Christi.*

1. — Ratio articuli. — Periucunda res in hoc articulo proponitur pertractanda, scilicet propria habitudo characteris, quo inde a baptismatis regeneratione insigniti sumus et quo ab infidelibus discernimur, ad inclitum ducem nostrum Christum, sub quo et cum quo pugnare debemus contra salutis nostrae hostes, quemadmodum milites, ducis sui charactere insigniti, ei quodammodo in praelio configurantur. — In quo tamen statim advertimus, posse Christum considerari vel ut Deum, vel ut hominem, et quidem sacerdotii plenitudine fruentem.

2. — Character consideratus secundum rationem sacramenti et secundum rationem rei. — Ulterius notetur characterem sacramentalem posse considerari vel secundum rationem *sacramenti,* vel secundum rationem *rei.* — Ad quod intelligendum, recolendum est quod character est signaculum quoddam, quo quis insignitur ut ordinatus in aliquem finem, sicut charactere insignitur denarius ad usum commutationum, et milites charactere insigniuntur, quasi ad militiam deputati. At vero character sacramentalis, ut diximus [1], est simul *res* respectu sacramenti exterioris, et *sacramentum* respe-

1. Art. praeced., n. 2, p. 148.

ctu ultimi effectus qui est gratia et gloria [1]; ideo dupliciter potest aliquid characteri attribui: uno modo, secundum rationem sacramenti, et hoc modo est signum invisibilis gratiae quae in sacramento confertur; alio modo secundum propriam rationem characteris, et hoc modo est signum configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas eius ad quod quis deputatur; sicut milites qui deputantur ad pugnam insigniuntur signo ducis, quo quodammodo eidem configurantur [2].

3. — PROP. I. — **Character sacramentalis, sumptus secundum rationem rei, specialiter est character Christi, maxime ut est sacerdos.**

4. — **Prob.** — Homo fidelis, per characterem sacramentalem, specialiter deputatur ad recipiendum vel tradendum aliis ea quae pertinent ad cultum Dei. Atqui totius ritus christianae religionis auctor est Christus, et quidem secundum quod est sacerdos et pontifex confessionis nostrae. Ergo character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles, secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt, quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipsomet Christo derivatae.

5. — **Auctoritas S. Petri.** — Quapropter S. Petrus fideles vocat [3] *genus electum, regale sacerdotium*, id est sacerdotes *regios seu regales*, ait Dionysius Carthusianus [4], *videlicet Christo summo regi ac sacerdoti assimilatos et incorporatos, ac pertinentes ad eum. Siquidem, quemadmodum Christus homo est templum Dei, sacerdos ac hostia, sic christianus fidelis est templum, sacerdos ac hostia Dei. Et quoniam summi regis sacerdos est, et sacerdotium eius ad regnum ordinatur caeleste, merito regalis sacerdos vocatur.*

1. Recole dicta superius, App. I, n. 4 et 5. — 2. Ad 2m. — 3. 1 Ep., II, 9. — 4. Enarratio in h. l. S. Petri, Opp. t. XIII, p. 637.

6. — PROP. II. — **Character sacramentalis, sumptus secundum rationem sacramenti, attribuitur** α) **interdum Spiritui Sancto,** β) **interdum sanctae Trinitati,** γ) **interdum Verbo.**

7. — **Exponitur.** — Homo fidelis deputatur ad fruitionem gloriae, ad quod insignitur signaculo gratiae, secundum illud [1]: *Signa Thau super fronies virorum gementium et dolentium;* et [2]: *Nolite nocere terrae et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Atqui collatio gratiae aliquando attribuitur α) Spiritui Sancto; β) aliquando Sanctae Trinitati; γ) aliquando Verbo. Ergo character sacramentalis, sumptus secundum rationem sacramenti, interdum attribuitur Spiritui Sancto, interdum Sanctae Trinitati, interdum Verbo.

8. — **Qua ratione character sacramentalis attribuitur Spiritui Sancto.** — Imprimis, gratiae collatio, qua perducimur ad vitam aeternam, solet Spiritui Sancto attribui, in quantum ex amore procedit quod Deus nobis aliquid gratis largiatur, quod ad rationem gratiae pertinet; Spiritus Sanctus enim procedit ut amor; unde dicitur [3]: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Ergo sub hoc respectu, character attribuitur Spiritui Sancto, iuxta illud [4]: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis:* enimvero, in nomine characteris importatur consignatio [5]. Pariter, distinctio sanctorum ab aliis fit per caritatem, quae *sola distinguit inter filios regni et filios perditionis,* ut S. Augustinus dicit [6]; caritas autem attribuitur Spiritui Sancto, secundum illud [7]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* [8].

1. Ezech., IX, 4. — 2. Apoc., VII, 3. — 3. 1 Cor., XII, 4. — 4. Eph., IV, 30. — 5. Ad 1m. — 6. L. XV de Trin., c. 18. — 7. Rom., V, 5. — 8. Ad 3m.

9. — Quomodo character sacramentalis attribuitur sanctae Trinitati. — Ulterius vero, si inspiciatur origo gratiae, dicendum est quod ista infunditur in anima a tota Trinitate; unde dicitur [1]: *Gratiam et gloriam dabit Dominus;* similiter caritas, quae est potissimus fructus gratiae, a sancta Trinitate nobis infunditur, iuxta illud [2]: *Gratia Domini Nostri Iesu Christi, et caritas Dei.* Ergo character, hoc sensu acceptus, non incongrue attribuitur Sanctissimae Trinitati [3]; quo sensu Ecclesia orat ut Deus fidelis defuncti misereatur, *qui dum viveret, insignitus est signaculo sanctae Trinitatis* [4].

10. — Quo pacto character sacramentalis attribuitur Verbo. — Demum, quod character sacramentalis rite attribuatur Verbo, patet ex hoc quod nonnulli sic definiunt characterem, ut sit distinctio a charactere aeterno impressa animae rationali, secundum imaginem, consignans trinitatem creatam Trinitati creanti et recreanti, et distinguens a non configuratis secundum statum fidei [5]. Atqui character aeternus est ipse Christus, secundum quod est Verbum a Patre procedens, secundum illud [6]: *Qui cum sit splendor gloriae et figura* (vel character) *substantiae eius.* Ergo sub hoc respectu, id est ratione exemplaritatis, character rite attribuitur Verbo Dei [7], quod procedit a Patre in ratione imaginis [8].

11. — Quaestio. — *Quid intelligitur per characterem bestiae, quo filii perditionis notari dicuntur* [9] *?*

Resp. Per istum characterem, duo intelligi possunt, nempe per oppositionem ad illa duo quae importantur

1. Ps. LXXXIII, 12. — 2. 2 Cor., XIII, 13. — 3. Ad 2[m]. — 4. In Exsequiis, in orat. *Non intres.* — 5. Definitio haec refertur a S. Thoma in Commentario in Magistrum Sententiarum (4, Dist. IV, Quaest. I, art. 2), et *magistralis* dicitur, vel *magistrorum,* quia nonnisi ex magistrorum usu robur auctoritatis habet. — 6. Hebr., I, 3. — 7. *Sed contra.* — 8. 1, Quaest. XXXV, art. 1. — 9. Apoc., XIII, 16, seq.

in charactere sacramentali, quae sunt gratia et deputatio ad cultum divinum ; et ista duo sunt obstinata malitia in peccato et professio illiciti cultus. — Revera, charactere quis distinguitur ab alio, ut supra dictum est, per comparationem ad aliquem finem, in quem ordinatur qui characterem accipit, sicut dictum est de charactere militari, quo in ordine ad pugnam distinguitur miles regis a milite hostis. Similiter character fidelium est, quo distinguuntur fideles Christi a servis diaboli, vel in ordine ad vitam aeternam, vel in ordine ad cultum praesentis Ecclesiae, quorum primum fit per gratiam, et alterum per characterem sacramentalem [1].

12. — Corollarium. — Igitur, qui contra Christum bella gerunt, diaboli, ducis sui, charactere notantur ; quatenus, gratia carentes, et perversa quaeque contra Ecclesiam eiusque visibile caput moliuntur, et ritibus nefandis operam navant, ut videre est in hodiernis occultis societatibus, quae dum cultum satanicum prosequuntur nihil intentatum relinquunt, quatenus salvificam Christi operam funditus, si fieri posset, destruant. — Ex adverso autem, uti egregie notat Al. Ad. Paquet [2], *quemadmodum milites, sub eximio rege pugnantes, effigie sui ducis quasi tessera nobilissima gloriantur, ita viro christiano percarus esse debet sublimis ille character, quo veluti nota divinitus sigillata fideles ab infidelibus, confirmati a non confirmatis sacerdotes a laicis discriminantur.*

Articulus IV. — *Utrum character sit in potentiis animae sicut in subiecto.*

1. — Sententiae. — Cum character sit accidens quoddam, ordinis scilicet supernaturalis, necesse est ut subiecto alicui, tanquam materiae *in qua,* inhaereat ; quod

1. Ad 3m. — 2. De Sacram., P. I, Disp. I, art. IV, p. 65, ed. alt.

quidem subiectum nequit esse, nisi vel ipsa animae essentia, vel aliqua eius facultas, quae fingi potest, vel intellectus, vel voluntas, vel utraque simul, vel demum potentia executiva. Et quidem unaquaeque harum hypotheseon suos habuit patronos: sic Suarez et Vasquez characterem reposuerunt in essentia animae; Scotus eiusque discipuli, in voluntate; Alexander Halensis, in intellectu simul et voluntate; Durandus in potentia executiva; demum S. Thomas formaliter edixit illum in intellectu esse reponendum.

2. — PROP. I — **Character sacramentalis non subiectatur in essentia animae, sed in aliqua potentia.**

3. — **Prob.** — I. Character sacramentalis est signaculum quoddam, quo anima insignitur, ad suscipiendum vel aliis tradendum ea quae sunt divini cultus. Atqui divinus cultus in quibusdam actibus consistit; ad actus autem proprie ordinantur potentiae animae, sicut essentia ordinatur ad esse. Ergo character non est, sicut in subiecto, in essentia animae, sed in aliqua eiusdem potentia.

4. — **Confirmatur.** — I. Sicut essentia animae, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter vivit; ita potentia naturalis animae perficitur per spiritualem potentiam, quae est character: sicut enim habitus et dispositio pertinent ad potentiam animae, eo quod ordinantur ad actus quorum potentiae sunt principia, ita etiam omne id quod ad actum ordinatur, est tribuendum potentiae [1].

II. Character sacramentalis est signaculum quoddam quod imprimitur animae rationali secundum imaginem sui ducis, qui est Christus Dominus, imo secundum imaginem totius Trinitatis. Atqui imago Sanctissimae Trini-

1. Ad 2m.

tatis in anima attenditur secundum potentias. Ergo character sacramentalis subiectatur in aliqua potentia animae [1].

5. — **Solvuntur difficultates.** — I. Gratia est in essentia animae. Atqui character est dispositio ad gratiam. Ergo character est in essentia animae.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* dispositio directa et proxima, *nego;* indirecta et remota, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Dispositio proxima et directa ad gratiam est in ipsa essentia animae, non autem in charactere, de cuius ratione est hominem idoneum facere ad actus cultus divini: unde et characteri magis attribuendum est subiectum secundum rationem actuum pertinentium ad cultum divinum, quam secundum rationem gratiae: subiectum enim alicui accidenti attribuitur secundum rationem eius ad quod propinque disponit, non autem secundum rationem eius ad quod disponit remote vel indirecte [2].

II. Subiectum alicuius potentiae est essentia animae. Atqui character est potentia quaedam. Ergo character subiectatur in essentia animae.

Resp. *Dist. mai.:* potentiae naturalis, *conc.;* potentiae divinitus supradditae, *nego. Dist. min.:* character est potentia naturalis, *nego;* divinitus superaddita, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Utique verum est potentias naturales, cum ex principiis essentiae fluant, subiectari in essentia animae, sicut intellectus et voluntas, in anima rationali, tanquam in proprio perfectibili, fundantur; at si sermo sit de potentia extrinsecus adveniente atque supernaturaliter addita, qualis praecise est character, cum huiusmodi ponatur ultima perfectio et dispositio potentiae, quae est intellectus, in ordine ad res cultum divinum respicientes, hinc rite in hac potentia subiectari dicitur [3].

6. — PROP. II. — **Character sacramentalis non est in voluntate, ut in subiecto.**

1. *Sed contra*, — 2. Ad 1m. — 3. Ad 2m.

7. — **Prob.** — De ratione characteris est ut hominem idoneum faciat ad ea quae sunt cultus divini absque respectu ad rationem boni vel mali in eisdem actibus : unde ex hoc capite assimilatur virtuti fidei, qua potest homo bene vel male uti, prout voluerit. Atqui voluntas respicit obiecta sua sub determinata ratione boni vel mali : obiectum enim voluntatis est bonum quod habet rationem finis. Ergo character sacramentalis non est proprie in voluntate, ut in subiecto.

8. — **Solvitur difficultas.** — Characteri sacramentali assignandum est subiectum conveniens principio proprio cultus divini. Atqui principium proprium cultus divini, est virtus religionis, quae subiectatur in voluntate. Ergo character sacramentalis est in voluntate, ut in subiecto.

Resp. *Dist. mai.:* subiectum conveniens principio, a quo cultus divinus habet esse simpliciter, *conc.;* a quo cultus divinus habet bene esse, *nego. Dist. min.:* virtus religionis est principium cultus divini, dans ei bene esse, *conc.;* dans ei esse simpliciter, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Quod cultus divinus non habeat principium in virtute religionis simpliciter, patet ex hoc quod potest homo rite baptizatus ad cultum ordinari, qui tamen gratia sanctificante destitutus maneat, si scilicet baptismum susceperit, sine re baptismi, seu ficte ; unde virtus religionis ponitur principium cultus divini quantum ad bene esse, id est, quatenus homo vivat conformiter legi Christi.

9. — PROP. III. — **Character sacramentalis non subiectatur in potentia executiva.**

10. — **Prob.** — Huiusmodi potentia, cum in hypothesi dividatur contra intellectum et voluntatem, non potest in homine esse mere spiritualis, sed est compositi : character autem est in anima formaliter intellectuali ; quocirca permanet etiam in anima separata, cum indelebiliter animae

imprimatur, ut mox dicetur [1]. Unde, si homo baptizatus resurgeret, non iterum esset baptizandus, et idem dicatur de homine qui ordinis sacramentum suscepisset.

11. — Solvitur tacita obiectio. — *Obiicienti,* esse in angelis potentiam executivam motus, qua videlicet se et corpora movent, quae quidem potentia in eis spiritualis est [2], unde et in anima humana talis potentia, omnino spiritualis, esse potest, quae sit susceptiva characteris, — *respondetur,* negando paritatem: huiusmodi enim potentia in angelis rite ponitur, qui, cum non habeant ordinem ad materiam informandam, nec ipsi se de loco ad locum transferre, nec corpora localiter movere possent sine tali potentia; at cum anima humana naturaliter sit proportionata proprio corpori, hinc inest ei potentia motiva seu executiva, radicata quidem in anima, subiectata vero in composito: quae quidem potentia et formaliter materialis est ideoque incapax suscipiendi virtutem spiritualem, qualis est character, et non manet in actu post mortem [3].

12. — PROP. IV. — **Character sacramentalis subiectatur in intellectu.**

13. — **Prob.** — Character sacramentalis ordinatur ad ea quae sunt cultus divini. Atqui cultus divinus est quaedam fidei protestatio, per exteriora signa quibus cultus iste explicari potest. Porro, ordinatur cultus divinus, primo, ad reverentiam Deo exhibendam; secundo, ad hoc quod homo instruatur a Deo quem colit; tertio, ad quandam directionem actuum humanorum secundum instituta Dei qui colitur [4]: quae quidem omnia, cum ad rationem veri formaliter spectent, pertinent ad intellectum.

1. Art. prox. — 2. Cf. Tr. de Angelis, Vol. I, Quaest. LIII, art. 1, n. 8, p. 85. — 3. Cf. quae diximus, loco prox. cit., art. 3, n. 9, p. 106. — 4. 2 2ae, Quaest. XCII, art. 12.

Ergo character sacramentalis proprie subiectatur in intellectu [1].

14. — Character non est simul in intellectu et voluntate. — Consulto praetermittimus Alexandri Halensis opinionem, characterem collocantis in intellectu simul et in voluntate, cum idem accidens non possit esse in diversis simul subiectis [2]: nisi quatenus sit quidem in una potentia per prius et formaliter, et per posterius vel ex consequenti respiciat alias potentias, mediante illa potentia, in qua primo est, ut advertit S. Thomas [3]: sicut fides, cum formaliter respiciat verum, proprie est in intellectu, sicut in subiecto, non absolute, sed secundum quod intellectus movetur a voluntate ad assentiendum [4]. Et similiter character est formaliter in intellectu, tamen prout a voluntate inclinatur ad praestandum ea quae sunt cultus divini: secundum quod dicitur intellectus speculativus extensione fieri practicus.

APPENDIX

Quo sensu dicitur character dispositio ad gratiam.

1. — Quanti referat praesentis dubii recta solutio. — Magni momenti est solutio praesentis quaestionis, cui occasionem dederunt verba S. Thomae hic recitata [5], ex quorum verborum malo intellectu falsa illa surrexit sententia quam multi nunc amplectuntur, et quam supra impugnavimus [6], scilicet sacramenta novae Legis non causare immediate gratiam, sed mediante dispositione illa quam directe efficiunt, quae est vel character, ut in

1. Ad 3m. — 2. Ad 3m. — 3. 4, Dist. IV, Quaest. I. art. 3, sol. II. — 4. 2 2ae, Quaest. IV, art. 2. — 5. Ad 1m. — 6. Supra, Quaest. LXII, art. 3 et 4, pp. 97, seq. et Append. I. Vide supra, p. 125.

tribus sacramentis characterem imprimentibus, vel aliquid quod locum teneat characteris, quod ponitur ratio reviviscentiae sacramenti ficte suscepti [1].

2. — Quo pacto recipienti characterem gratia datur. — Porro, dicendum est, cum S. Thoma [2], quod character directe quidem et propinque disponit animam ad ea quae sunt divini cultus exequenda : et quia haec idonee non fiunt sine auxilio gratiae, quia, ut dicitur [3]: *Eos qui adorant* (Deum), *in spiritu et veritate oportet adorare,* ideo de necessitate divina bonitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam digne impleant ea ad quae deputantur, nisi in eis adsit obex gratiae : et ob hanc causam characteri subiectum magis est attribuendum secundum rationem actuum ad divinum cultum pertinentium, scilicet aliquam potentiam, qualis est intellectus, quam secundum rationem gratiae, nempe essentiam animae.

3. — Praesens doctrina exemplis illustratur. — Igitur, dicendus est character eo circiter modo disponere ad gratiam, quo oculus ad lucem recipiendam ordinatur et disponitur, vel quo unio hypostatica Christi humanitatem, aut etiam divina maternitas Beatissimam eius Matrem ad gratiae plenitudinem, utrique suo modo conferendam, ordinavit atque disposuit.

4. — Verba Card. Caietani. — Egregie, more suo, Cardinalis Caietanus explicat quo sensu a S. Thoma character dicitur dispositio ad gratiam [4] : *Cave hic,* ait, *ne dicta de charactere intelligas dicta de sacramentis characterem imprimentibus, et incidas in foveam, putans, quod sacramenta huiusmodi conferant gratiam ex*

1. Vide supra, Appendix II, p. 130, seq. — 2. Hic, ad 1m. — 3. Io., IV, 24. — 4. Comment. in h. l. S. Thom.

consequenti, sintque principaliter causae characterum, et ex consequenti gratiae: quia character, ut in littera dicitur, non proxime, sed ex consequenti, dispositio est ad gratiam. Recolito superius habitae doctrinae, quod scilicet gratia est principalis sacramentorum effectus, et character est effectus secundarius, et perspice non licere attribuere sacramento conditionem characteris: cum hoc enim, quod character est remote et ex consequenti dispositio ad gratiam, stat, quod gratia sit principalis effectus sacramenti: tunc enim gratia non esset principalis effectus sacramenti, si solum daretur per sacramentum ut sequela ad characterem: quae phantasia procul sit a te: baptismus namque est principaliter lavacrum regenerationis in filios Dei, in membra Christi: et secundario impressivus characteris, et confert gratiam ex primo principaliter, et praeter hoc habet unde conferat gratiam ex consequenti, scilicet propter characterem, ita quod character naturali ordine est effectus gratiae, per quam aliquis fit christianus formatus, prius enim natura est esse, quod spectat ad gratiam, quam posse, quod est characteris: et cum hoc est dispositio ex consequenti ad gratiam, pro quanto ad posse donatum a Deo, comitatur antecedenter vel consequenter largitio bene posse. Et bene nota, quod character non ponitur dispositio ad gratiam absolute; sed character secundum rationem suae causae, scilicet divinae largitatis, ponitur dispositio ad gratiam. Divinae siquidem largitatis ratio habet, ut, cui dat posse, det bene posse: hac enim ratione character ponitur dispositio ad gratiam, ut patet in hac littera.

ARTICULUS V. — *Utrum character insit animae indelebiliter.*

1. — **Ratio articuli.** — Cum iam de charactere sacramentali constet quid sit et quomodo se habeat, tum relate ad Christum, cuius impressio quaedam est, tum relate ad intellectum, in quo tanquam in proprio subiecto residet, nunc quaeritur de eius duratione in essendo, ut sciatur utrum, sua natura aut ex humana voluntate, possit, sive in hoc saeculo, sive in futuro, deleri.

Dicimus, *sua natura aut ex humana voluntate:* nam quod Deus, absolute loquendo, id facere possit, in dubium nequaquam vertitur.

2. — PROP. — **Character sacramentalis indelebiliter manet in anima.**

3. — **Auctoritas Concilii Tridentini.** — Propositio haec ita continetur in Concilio Tridentino[1]: *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, A. S.* Ubi, cum Concilium non distinguat inter praesentem vitam et futuram, consequenter dicenda est indelebilitas characteris, tum pro praesenti, tum pro futura vita, res *de fide* tenenda.

4. — **Probatur traditione Patrum.** — Patres hanc veritatem diserte exprimunt. Sic S. Augustinus[2] ait non minus haerere sacramenta christiana quam corporalem notam militiae[3]; atqui character militaris non repetitur, sed agnitus approbatur in eo qui post culpam desertionis

1. Sess. VII, can. 9 de Sacram. in genere. — 2. L. II Contra Parmenianum, c. 13, n. 29, t. IX, p. 44. — 3. Vide supra, art. 1, n. 5, p. 144.

veniam ab imperatore meretur: unde concludit [1]: *Nec apostatas videmus carere baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse iudicatur.* Rationem autem huius indebilitatis reddit idem Doctor Hipponensis [2], dum de baptismo et ordinatione loquens, ait: *Utrumque sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur: illud, cum baptizatur; istud, cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari.*

Pariter S. Gregorius Magnus [3]: *Sicut baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita, qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine, non debet consecrari.* Huc quoque faciunt dicendi formulae quibus Patres passim utuntur, dum characterem exhibent tanquam signaculum *indissolubile, indelebile in saecula* [4], aut *inviolabile* [5].

5. — **Prob. rat. theol.** — Character sacramentalis est quaedam participatio sacerdotii Christi in fidelibus eius, ut scilicet quemadmodum Christus Dominus plenam habet spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles eius ei configurentur, in hoc quod aliquam spiritualem potestatem participent respectu sacramentorum, necnon respectu eorum quae ad divinum cultum pertinent. Porro, sacerdotium Christi est aeternum, secundum illud [6]: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Ergo omnis sanctificatio, quae fit per sacerdotium eius, est perpetua, re scilicet consecrata manente, ut patet etiam in rebus inanimatis; nam consecratio Ecclesiae vel altaris semper manet, nisi res istae destruantur, iuxta illud [7]: *Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum*

1. L. 2, de Baptism. contra Donatist., circa princ. — 2. Lib. II Contra Parmen., l. c., n. 28. — 3. L. II Epist. 32. — 4. S. Cyrillus Hierosolymitanus. — 5. S. Basilius. Cf. Cat. Rom., P. II, C. 1, n. 31. — 6. Ps. CIX, 4. — 7. Levit., I, XXVII, 28.

sanctorum erit Domino[1]. Cum igitur anima, secundum partem intellectivam, in qua est fides, sit subiectum characteris sacramentalis, et cum haec semper maneat, intellectus enim est incorruptibilis et perpetuus, sequitur huiusmodi participationem sacerdotii Christi indelebiliter manere in anima.

6. — Quaestio. — *Utrum Christo competat habere characterem?*

Resp. negative, quia scilicet Christus Dominus non habet participatum sacerdotium, sed potestas sacerdotii eius comparatur ad characterem, sicut id quod est plenum et perfectum ad aliquam sui participationem. Et idem est de aureolis, quas Christo non competere, duce S. Thoma[2], docuimus[3]: licet enim sanctissimus Redemptor Noster fuerit verissime Virgo, Martyr et Doctor, aureolas tamen correspondentes non habuit, quia istae significant quamdam participationem perfectionis victoriae: in Christo autem invenitur plena et perfecta ratio victoriae, per cuius victoriam ceteri constituuntur victores.

7. — Cur gratia, secus ac character, delebiliter animae inhaereat. — Porro, cum videretur gratiam, utpote quae perfectior est quam character qui ad illam ordinatur tanquam ad ulteriorem finem, multo magis quam characterem debere immobiliter inhaerere animae, ideo

1. Huc revocari potest celeberrima quaestio, utrum ligatus solemni voto continentiae possit ab eo dispensari, cui negative respondet S. Thomas (2 2ae, Quaest. LXXXVIII, art 11), eo quod *solemnitas voti consistit in quadam consecratione;* non potest autem, addit ille, Ecclesiae praelatus facere ut id quod *est sanctificatum, sanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis, puta quod calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer.* Communem iuristarum dissensum S. Thomas ignorantiae adscribit, quod valde mirandum est, cum erga adversarios suos magnam semper exhibeat reverentiam. — 2. Supplem., Quaest. XCVI, art. 8. — 3. Tr. de Beatissima Virgine Maria, P. II. C. I, art. 8. Tr. de Novissimis, Q. III, a. 7, n. 10, p. 154.

non inopportune hic assignatur ultima ratio indelebilitatis characteris sacramentalis; quae est reponenda in hoc quod character est quaedam instrumentalis virtus, cuius ratio est ut ab alio moveatur. Quapropter, etsi gratia perfectior sit quam character, tamen non sequitur aut quod character sit delebiliter in anima sicut gratia, aut quod gratia sit in ipsa indelebiliter, sicut character, praecise quia gratia non est in anima ad modum cuiusdam virtutis instrumentalis, sicut character.

8. — Explicatur. — Ad cuius intelligentiam, sciendum est quod aliter character est in anima, aliter vero gratia. Nimirum, gratia est in anima sicut quaedam forma habens esse completum in ea; character autem sicut quaedam virtus instrumentalis. Porro, forma completa est in subiecto secundum conditionem subiecti; quia vero anima, quamdiu in statu viae invenitur, mutabilis est secundum liberum arbitrium, hinc gratia inest animae mutabiliter; virtus autem instrumentalis magis attenditur secundum conditionem principalis agentis; unde character inest animae indelebiliter, non propter sui perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotii Christi, a quo, sicut quaedam instrumentalis virtus, derivatur [1].

Et haec est etiam ratio cur homo per voluntatem characterem nequit amittere: ratio enim instrumenti consistit in hoc quod ab alio moveatur, non autem in hoc quod ipsum se moveat, quod pertinet ad voluntatem: ideoque quantumcumque voluntas moveatur in contrarium, character non removetur propter immobilitatem principii moventis [2].

9. — Solvitur difficultas. — Cessante fine, cessare debent ea quae sunt ad finem. Atqui post hanc vitam desinet cultus divinus, pro quo institutus est character.

1. Ad 1m. – 2. Ad 2m.

Ergo character post praesentem vitam haudquaquam permansurus est.

Resp. *Dist. mai.:* cessante fine, tum proximo, tum ultimo, *conc.;* fine proximo tantum, *nego. Dist. min.:* desinet cultus divinus secundum formam praesentis oeconomiae, *conc.;* secundum finem illius, qui est finalis retributio, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Utique post hanc vitam non remanebit cultus exterior, quantum ad formam praesentis oeconomiae, quia tunc nihil agetur in figura, sed totum in nuda veritate, ad quam praecise veritatem cultus exterior ordinatur: unde sicut post resurrectionem cessabit matrimonium, cessante generatione ad quam matrimonium ordinatur, ita cessabit cultus exterior, adimpletis iam omnibus figuris quae sunt ratio illius cultus. Attamen remanebit ultimus finis illius cultus, qui est finalis retributio; et ideo post hanc vitam remanebit character, in bonis quidem ad eorum gloriam, in malis vero ad eorum ignominiam; sicut etiam character militaris remanet in militibus post adeptam victoriam, in his quidem qui vicerunt, ad gloriam, in his vero qui sunt victi, ad poenam [1]. Similiter in corpore Christi permanent vulnerum cicatrices ad maiorem cumulum gloriae huius dilectissimi Regis nostri, in quantum sunt quaedam virtutis illius insignia [2].

Articulus VI. — *Utrum per omnia sacramenta novae Legis imprimatur character.*

1. — Quid praestent omnia sacramenta. — Ex dictis in articulis praecedentibus, resultat omnibus sacramentis hoc esse commune, ut homo per ea particeps fiat sacerdotii Christi, utpote percipiens aliquem eius effectum, scilicet gratiam sanctificantem, qua et anima quodammodo

1. Ad 3m. — 2. 3, Quaest. LIV, art. 4, ad 1m.

Deo sanctificatur, et remedium contra peccatum praestatur, cum sanctitas importet munditiam a peccato[1]. Quae cum ita sint, vult nunc quaeri quodnam illud sit quod specialiter quibusdam sacramentis inest, ob quod dicuntur characterem imprimere.

2. — PROP. — **Per tria tantum sacramenta novae Legis character imprimitur, scilicet per baptismum, confirmationem et ordinem.**

3. — **Infallibilis Ecclesiae auctoritas.** — Haec propositio omnino *de fide* suscipienda est, ut constat ex auctoritate Concilii Tridentini[2] superius allata[3], cui consonat et Concilium Florentium[4], ubi, dicto de baptismo, confirmatione et ordine, quod characterem imprimunt, *unde in eadem persona non reiterantur*, mox additur: *Reliqua vero quatuor* (sacramenta) *characterem non imprimunt et reiterationem admittunt.* Quapropter, constans Ecclesiae praxis semper fuit quatuor sacramenta iterandi, scilicet Eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem et matrimonium, minime vero cetera tria: quae praxis evidenti argumento est, his tribus tantummodo characterem indelebilem in anima imprimi.

4. — **Patrum traditio.** — Traditionem vero Patrum Ecclesiae egregie repraesentat, inter alios, Doctor Hipponensis, qui expresse testatur, in baptismo et ordinatione characterem inesse, dum, loquens de redeuntibus ab haeresi ad Ecclesiam, dicit[5]: *Si quando ex ipsa parte venientes etiam praepositi, pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt, et si visum est opus esse ut eadem officia gererent quae gerebant, non sunt rursum ordinati; sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit in-*

1. Ad 1m et 2m. — 2. Sess. VII, can. 9. — 3. Art. 5, n. 3, p. 167. — 4. Decreto pro Armenis. — 5. L. II. Contra Epist. Parmeniani, C. 13, n. 28, t. IX, p. 44.

tegra : quia in praecisione fuerat vitium quod unitatis pace correctum est, non in sacramentis quae, ubicumque sunt, ipsa sunt. Quod autem attinet ad sacramentum confirmationis, idem Pater in secundo libro contra litteras Petiliani dicit[1]: *Sacramentum chrismatis... sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse et in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus et regnum caelorum non possessuris.*

5. **Prob. ratione theol.** — In tantum aliquod sacramentum imprimit characterem, in quantum directe ordinat hominem ad ea quae sunt cultus divini, illum scilicet deputando ad agendum aliquid vel recipiendum, quod pertineat ad cultum sacerdotii Christi, pro quo indiget quadam consecratione, eo modo quo res etiam inanimatae sanctificari et consecrari dicuntur, in quantum divino cultui deputantur [2]. Atqui, licet per omnia sacramenta detur gratia sanctificans per quam exhibetur remedium contra peccata, tamen per sola praedicta tria sacramenta recipit specialem deputationem, instar cuiusdam consecrationis, ad cultum divinum. Ergo sola tria praedicta sacramenta imprimunt characterem in anima.

Haec autem veritas clarior fiet, si primo considerentur singillatim sacramenta characterem non imprimentia, et postea sacramenta quae illum imprimunt.

6. — **Cur in poenitentia, extrema unctione, matrimonio et Eucharistia, non imprimatur character.** — Imprimis, quod attinet ad tria sacramenta, scilicet *poenitentiam, extremam unctionem et matrimonium,* dicendum est quod per ea non exhibetur homini aliquid de novo pertinens ad cultum divinum; sed per poenitentiam homo restituitur in statum pristinum; per extremam unctionem praebetur remedium contra reliquias peccati,

1. C. CIV, n. 239, t. IX, p. 293. — 2. Ad 1m et 2m.

simulque gratia confortans hominem in fine vitae; demum per matrimonium arcetur concupiscentia, et simul gratia confertur ad munia coniugalia rite obeunda.

Eucharistia vero utique pertinet ad cultum divinum, scilicet per modum actionis, cum in ea cultus divinus principaliter consistat, in quantum est sacrificium Ecclesiae; sed quia per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum vel recipiendum in sacramentis, cum potius sit finis et consummatio omnium sacramentorum, ut habetur in libro de *Ecclesiastica Hierarchia* [1], ideo hoc idem sacramentum non imprimit characterem, licet contineat in se ipsum Christum, in quo non est character, sed tota plenitudo sacerdotii.

Quae cum ita sint, in hisce quatuor sacramentis, id quod est res et sacramentum non est character [2]: quid autem sit, suo loco dicetur [3].

7. — **Ratio characteris in baptismate, confirmatione et ordine.** — At vero si considerentur caetera sacramenta, facile patebit in eis id quod est res et sacramentum esse ipsum characterem indelebiliter impressum in anima. Et primo quidem, per *baptismum*, homo potestate donatur recipiendi alia sacramenta, unde baptismus dicitur esse ianua omnium sacramentorum; per *confirmationem*, christianus communitur et deputatur non solum ad sacra constanter suscipienda, sed praecipue ad tuendum Christi nomen et religionem; demum, per *ordinem*, deputantur homines ad sacramenta aliis tradenda.

8. — **Scholion.** — Quae cum ita sint, agnoscenda est in baptismate potentia characteris passiva; in confirmatione, partim passiva, partim activa; in ordine, activa. Ulterius aliter sub Christo sunt homines simpliciter ba-

1. C. 3. — 2. Ad 3m. — 3. Cf. Tr. DE GRATIA, Quaest. CXIII, § IV, n. 5.

ptizati, aliter confirmati, aliter ordinati: primi sunt sub Christo ut Rex est, tanquam eius subditi; secundi sunt sub eo ut Doctor est, tanquam cum eo et pro eo decertantes; tertii demum sub eodem sunt prout Sacerdos est, tanquam in virtute illius sacerdotii ministrantes.

Quomodo autem trinus iste character figuratus fuerit in veteri Lege, tradit Angelicus[1]: *In distinctione enim filiorum Israel ab Aegyptiis significabatur character baptismalis; in distinctione timidorum a fortibus in bellis, character confirmationis; in distinctione levitarum a fratribus suis, character ordinis.*

9. — **Verba S. Bonaventurae.** — Hoc loco tacenda non est pulcra comparatio quam facit S. Bonaventura triplicis huiusmodi characteris ad triplicem statum fidei in Ecclesia. *Tres sunt status fidei,* ait ille[2], *scilicet, genitae, roboratae et iam multiplicatae; et secundum hoc attenditur triplex distinctio in populo: scilicet bonorum a malis, fortium ab infirmis, clericorum a laicis... Quia ergo tria tantum sunt sacramenta quae respiciunt statum fidei determinatum — baptismus primum, quia ibi fides gignitur et homo ab Aegyptiis separatur; confirmatio secundum, quia ibi fides roboratur et ut pugil inungitur homo ad praeliandum et ab infirmis discernitur; ordo tertium, quia ibi virtus multimoda datur, et homo ut sanctus ad ministerium templi a laicis separatur: — ideo ista tria tantum imprimunt characterem.*

9. — **Verba Patris Monsabré.** — Praestat denique pulcherrima verba referre, quibus P. Monsabré hominis christiani charactere insigniti officium oratorio stylo describit[3].

1. Cf. 4, Dist. VII, Quaest. II, art. 1, Quaestiunc. III, ad 2m. — 2. 4, Dist. VI, P. I, art. unic., Quaest. IV, t. IV, p. 143. — 3. Exposition du Dogme catholique. Conférence LXIII.

Agir doit être un besoin pour quiconque se sent une puissance. Cela est si vrai que nous ne supportons pas les natures indifférentes et lâches, chez qui les plus riches facultés demeurent vides et inefficaces. Mais voyez notre inconséquence; ce qui attire notre attention, ce qui provoque notre impatience et nos dédains, quand il s'agit des dons naturels, semble nous échapper entièrement, quand il s'agit des dons surnaturels. Le caractère sacramentel est une puissance, et nous le laissons dormir dans l'inaction, lors même que les lois de Dieu et de l'Eglise nous font une obligation de nous en servir. D'autant plus coupables, en cela, que nous comprenons fort bien la logique pratique du caractère, là où Dieu l'a mis dans sa plénitude. Quand nous voyons un prêtre oublier sa consécration, trahir son ministère, se désintéresser de toutes les choses sacrées, ne plus les donner à personne, se mêler à nos affaires, devenir un vulgaire bourgeois, et tuer ainsi la considération qui s'attache aux grandes vocations, nous n'avons pas assez de mépris pour stigmatiser sa déchéance.

Ne méprisez pas tant, messieurs, si vous voulez n'être pas contraints à vous mépriser vous mêmes; car vous aussi, vous êtes prêtres, puisque le caractère sacramentel est une participation à la puissance sacerdotale du Christ.

Vous êtes prêtres pour recevoir les choses sacrées. Mais, combien parmi vous ne savent plus, depuis longtemps, s'ouvrir à la vertu des sacrements, cette crue de vie divine, plus féconde en nos âmes que les crues du Nil sur les rivages égyptiens! Un lit profond a été creusé pour la recevoir, le péché l'encombre, rien n'y passe. Point de pardon pour vos si nombreuses fautes, point d'aliment pour vos forces défaillantes, lâchement couchées sous le joug des plus honteuses habitudes. Votre vie religieuse, presque réduite à rien;

est dépeuplée des choses sacrées qui devraient l'orner et la rendre florissante. Votre caractère appelle la grâce de Dieu, votre indifférence ou votre mauvais vouloir la repoussent.

Vous êtes prêtres pour rendre hommage aux choses sacrées par le témoignage public et les héroïques combats de votre foi. Mais combien parmi vous dont la langue est muette et dont la vie, presque païenne, n'est qu'une longue protestation contre la vérité et la sainteté du christianisme! Combien sont fidèles encore, au fond du cœur, à des croyances qu'ils devraient traduire publiquement par des actes religieux, et les dissimulent par intérêt ou par respect humain! Combien cèdent à la pression de l'impiété triomphante, et désertent lâchement le champ de bataille où il devraient lutter pour celui qui les a inscrits, par le caractère sacramentel, dans sa milice sacrée! Combien se contentent de gémir, quand il faudrait combattre!

Comme s'il était digne d'un soldat de pleurer devant l'ennemi et de pousser ce cri lamentable : Nous sommes perdus! *sans oser toucher à ses armes. Combien, par une étonnante contradiction, luttent dans la vie publique pour des vérités qui déshonorent leur vie privée, pour des libertés dont ils se gardent bien d'user et rendent inutiles les combats de leur foi, parce qu'ils leur refusent le témoignage public d'une vie vraiment chrétienne! Enfin, Messieurs, combien chez qui les caractères sacramentels ne sont que des puissances vides et inefficaces!* [1]

1. Ex disertissimis hisce verbis, immo ex toto huius recentium oratorum principis opere, ediscet sollers rerum theologicarum cultor, quam optimo successu, a verbi divini praedicatoribus, sublimis haec Angelici praeceptoris doctrina, si tantum profunda meditatione digeratur, adhiberi possit ad fidelium vitam christiano more instituendam. Certe, huc facit aureum poetae monitum (Horat., de Art. poet., v. 309, seq.):

Dicendi recte sapere est et principium et fons...
Verbaque provisam rem non invita sequentur.

QUAESTIO QUINTA
(LXIV)

DE CAUSA SACRAMENTORUM

Prologus.

1. — Ratio huius quaestionis. — Cum quadruplex sit causarum genus, hic proprie agitur de causa efficiente sacramentorum novi Foederis et quidem, sive per auctoritatem, quae causa Deus est, sive per ministerium, quae est Christus, et sub eo novae Legis sacerdotes. — In quo quidem simul refulgebit et excellentia ipsorum sacramentorum, et sacerdotum, qui illa administrant, nobilitas. Equidem praestantissimae res esse debent Ecclesiae sacramenta, quae in manu Dei operantis mirifica quaedam existunt iustitiae adipiscendae instrumenta, cum dubitandum non sit, *quin praeclari alicuius muneris dignitas, eius a quo donum ipsum profectum est, dignitate et praesentia quammaxime augeatur* [1]. Sacerdotum quoque dignitas manifesta apparet consideranti quod *quamvis Deus sacramentorum auctor et dispensator sit, ea tamen non per angelos, verum per homines ministrari in Ecclesia voluit* [2].

2. — Ordo huius quaestionis. — Porro, acturis nobis de sacramentorum causa, primo loco erit conside-

1. Cat. Rom., P. II, c; I, n. 23. — 2. Ibid., n. 14.

randa causa principalis (1-2), et secundo, causa ministerialis (3-10). Causa autem principalis Deus est, et quidem cum exclusione cuiuscumque creaturae, tum relate ad effectus quos sacramenta nata sunt producere (1), tum relate ad ipsorum sacramentorum institutionem (2). — Causa vero ministerialis in duplici ponitur differentia: scilicet, alia est causa ministerialis per excellentiam (3-4), alia veluti secundaria, a priori causa suam mutuans efficaciam (5-10). Porro, causa ministerialis per excellentiam est Christus Dominus, secundam humanitatem divinitati hypostatice coniunctam (3), quae quidem praerogativa eidem adeo competit, ut nulli alii possit communicari (4). — Causae vero ministeriales secundariae sunt homines, qui sunt sacramentorum dispensatores (5-10): qui quidem inspici possunt tum in seipsis (5-7), tum secundum finem ipsorum sacramentorum (8-10). Et quidem, sacramentorum ministri alii sunt ordinarii, qui sunt homines viatores (5-6); alii vero sunt extraordinarii, puta angeli (7): de ministro autem ordinario dubitatio exurgit quantum ad illius moralitatem, ut sciatur tum de validitate (5), tum de liceitate (6) ministerii a malis ministris in sacramentis exhibiti. — Demum, consideratio de sacramentorum fine in duplicem resolvitur dubitationem: quarum prior respicit finem operis ipsius (8-9), et quidem ex parte tum voluntatis, tum intellectus ministri, ut scilicet sciatur, primo, utrum in ministro requiratur intentio (8), et secundo, utrum requiratur recta fides (9); altera dubitatio respicit finem operantis, seu rectitudinem intentionis in eodem (10).



Hinc, in hac quaestione decem quaeruntur.

Primo. Utrum sòlus Deus interius operetur in sacramentis.

Secundo. Utrum institutio sacramentorum sit solum a Deo.

Tertio. De potestate, quam Christus habuit in sacramentis.

Quarto. Utrum illam potestatem potuerit aliis communicare.

Quinto. Utrum potestas ministerii in sacramentis conveniat malis.

Sexto. Utrum mali peccent dispensando sacramenta.

Septimo. Utrum angeli possint esse ministri sacramentorum.

Octavo. Utrum intentio ministri requiratur in sacramentis.

Nono. Utrum requiratur ibi recta fides, ita scilicet quod infidelis non possit tradere sacramenta.

Decimo. Utrum requiratur ibi recta intentio.

Articulus I. — *Utrum solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti.*

1. — Causa principalis et causa ministerialis. — Ad praesentis dubii solutionem, primo recolenda venit distinctio superius tradita [1], inter causam principalem et causam instrumentalem. Prior illa est quae propria virtute effectum attingit; altera vero, quae effectum attingit virtute principalis agentis. Et haec quidem in rebus inanimatis dicitur simpliciter causa instrumentalis, in creaturis vero rationalibus dicitur *ministerialis:* minister enim, ait S. Thomas [2], est *quasi instrumentum animatum* [3]; aut est *sicut instrumentum intelligens* [4]. Cum igitur duo sint sacramentorum effectus: gratia scilicet et character, hinc quaestio proprie hic proponitur quid possit Deus, quid minister in huius duplicis effectus productione.

2. — PROP. — α) Deus solus operatur effectum sacramenti tamquam principale agens; β) homo autem potest ad huiusmodi effectum concurrere per modum ministri.

3. — Prob. 1ª Pars. — Solus ille potest, tanquam causa principalis, operari interiorem effectum sacramenti, qui potest illabi animae, in qua ille effectus, scilicet

1. Quaest. LXII, art. 4, n. 12, p. 107. — 2. L. III Contra Gent., c. 79. — 3. Cf. Arist., l. VIII Ethic., c. 7. — 4. 1, Quaest. CXII, art. 1.

gratia et character, recipitur. Atqui solus Deus illabitur animae. Ergo solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti, scilicet gratiam et characterem, tanquam principale agens.

Vis huius argumenti in hoc consistit, quod nulla res potest immediate operari per modum causae principalis, ubi non est, vel secundum suam substantiam, vel saltem secundum suam virtutem: solus autem Deus sic illabitur animae, creatura autem neutro modo. Revera, causa principalis debet agere immediate, si non immediatione suppositi, saltem immediatione virtutis, ideoque operari nequit ubi non est, vel immediatione suppositi, vel saltem immediatione virtutis [1].

4. — **Confirmatur.** — I. Interior effectus sacramentorum est iustificatio, quae fit per gratiam. Atqui Deus solus est qui iustificat, scilicet tamquam causa principalis. Ergo solus Deus, tanquam causa principalis, operatur interiorem effectum sacramentorum [2].

II. Solum agens principale potest producere virtutem instrumentalem. Atqui character, qui est interior quorumdam sacramentorum effectus, est sicut quaedam virtus instrumentalis Dei, ut dictum est [3]. Ergo solus Deus potest, tanquam agens principale, operari interiorem effectum sacramenti.

5. — **Prob. 2ª Pars.** — Eadem ratio est de ministro et de instrumento. Atqui res inanimatae instrumentaliter operantur aliquid ad interiorem effectum sacramenti; nam aqua *corpus tangit et cor abluit,* ut ait S. Augustinus [4]. Ergo multo magis homines, qui digniores sunt rebus inanimatis, possunt operari instrumentaliter, id est,

1. Cf. Tr. DE DEO UNO, Quaest. VIII, art. 1, p. 289; et tr. DEL MIRACOLO, III, § VIII, p. 51. — 2. Cf. Rom., VIII, 33. Vide Tr. DE GRATIA, Quaest. CXII, art. 2, p. 222. — 3. Quaest. praeced., art. 2. — 4. Tract. LXXX in Io. n. 3, t. III, P. II, col. 703.

per modum ministerii ad effectum interiorem sacramentorum [1].

6. — **Scholion.** — Quae cum ita sint, facile intelligi potest id quod legitur [2], sacerdotibus fuisse commissam potestatem remittendi peccata; quae utique, si mortalia sunt, sine gratiae infusione nequeunt deleri. Quapropter, a S. Pio V condemnata est sequens propositio [3]: *Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat: ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur* [4]. — Monet autem opportune Card. Caietanus [5], unam eamdemque vim instrumentalem confluere in ritu sacramentali et ministro, quasi in partialibus elementis concurrentibus ad perficiendum unum instrumentum et sacramentum.

7. — **Potestas ministrorum operandi effectum sacramenti est alligata ipsis sacramentis.** — Sedulo autem observandum est quod, quia minister, ut talis, operationem exercet in quantum est instrumentum principalis agentis, ideo potestas conferendi gratiam, quam diximus competere hominibus in sacramentorum administratione, ita est sacramentis alligata, ut eam extra sacramenta exercere non valeant. Quapropter, quia laicus potest esse minister baptismatis, ideo cum baptizat, non minus operatur ad collationem gratiae, quam sacerdos; at sacerdoti cuilibet, absque sacramentali ritu, gratiae conferendae vis nulla est.

8. — **Officia hierarchica in Ecclesia Christi.** — De sacerdote quidem celebris est sententia libri de *Ecclesiastica Hierarchia* [6], secundum quam ei attribuitur officium illu-

1. Ad 3m. — 2. Matth., XVI, 19; et Io., XX, 23. — 3. Inter 79 Michaelis Baii, est 58a. Denzinger-B., n. 1058. — 4. Cf. Quaest. XXVII de Verit. art. 4, ad 18m; necnon Opusc. DE FORMA ABSOLUTIONIS, cc. 1 et 2. — 5. In h. loc. — 6. C. V.

minandi; at hoc ille praestat, non gratiam infundendo aut illabendo in animam, sed solum ministerialiter, exercendo actionem sacramentalem; et idem dicatur proportionaliter de officio episcopi, quod est perficere. De diacono autem dicitur quod ad ipsum pertinet purgare: quo nomine non intelligitur quod homines purget a peccatis, sed quod eiicere debeat immundos e coetu fidelium, vel eos sacris admonitionibus disponere ad sacramentorum receptionem [1].

9. — **Quaestio.** — *Quorsum tendunt orationum suffragia, quae in sacramentorum administratione offeruntur?*

Resp. Orationes, quae in sacramentorum collatione recitari solent, Deo offeruntur, non ex parte singularis personae, sed ex parte totius Ecclesiae, cuius preces apud Deum exaudibiles sunt, secundum illud [2]: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in caelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quapropter huiusmodi orationes, quae in sacramentorum collatione fiunt, a Deo exaudiuntur, sive minister sit bonus, sive malus.

Cum hoc tamen stat, quod oratio viri iusti aliquid obtinet, scilicet ex opere operantis, non quidem impetrando effectum, sed impetrando aliquid aliud annexum effectui sacramenti; quod quidem minister non operatur per se, sed impetrat operandum a Deo. Quocirca, orationes iustorum sunt apud Deum magis exaudibiles quam quorumcumque, secundum illud [3]: *Si quis Dei cultor est et voluntatem eius facit, hunc exaudit:* et secundum hunc respectum dici potest quod maius bonum percipit ille qui sacramentum a meliori ministro recipit.

At illud quod est effectus sacramenti non impetratur

1. Ad 1m. — 2. Matth., XVIII, 19, 20. — 3. Io., IX, 31.

oratione Ecclesiae vel ministri, sed ex merito passionis Christi, cuius virtus operatur in sacramentis: unde effectus sacramenti, ut sic, non datur melior per meliorem ministrum [1].

Tria igitur distingui debent in sacramentorum administratione: *primum*, virtus impetratoria totius Ecclesiae; *secundum* virtus impetratoria ministri; *tertium* virtus instrumentalis ministri; et quidem variatur secundum, primo et ultimo constanter manentibus.

Articulus II. — *Utrum sacramenta sint solum ex institutione divina.*

1. — Ratio articuli. — Comperto quod virtus effectiva gratiae, in sacramentis, sit a solo Deo, tanquam plene, independenter et libere de illa disponente, altera iam sponte sequitur quaestio, cum praecedenti intime colligata, nempe de sacramentorum proprio institutore: nimirum, quaeritur hic de sacramentorum institutore ex auctoritate et per potestatem supremam; attamen, non incongrue proponetur, et quidem ex professo, altera quaestio, quam S. Thomas hic tantum innuit, nempe de institutore eorumdem per modum cuiusdam ministerii. Et haec quidem duo in uno Domino nostro Iesu Christo adunantur, cum, ut Deus, sit aequalis Patri, apud quem, ut dicemus, plena residet in sacramentorum institutione auctoritas; ut homo autem, est in hoc opere Dei minister excellentissimus. Et primum quidem in hoc articulo tractabimus; alterum vero in speciali appendice.

2. — PROP. — Solus Deus est sacramentorum institutor ex auctoritate.

3. — Suadetur. — Huius veritatis indicio esse po-

1. Ad 2m.

test ipsa sacramentorum veteris Legis institutio, quae in libris sanctis Deo immediate attribuitur. Atqui novae Legis sacramenta antiquis illis ritibus dignitate et efficacia praestant. Ergo multo magis debuerunt habere Deum ipsum auctorem. — Notandum vero non satis rem istam probari ex illis Concilii Tridentini locis, ubi sacramentorum institutor dicitur esse Christus; cum ibi Christus consideretur potissime ut homo, sicut infra dicetur.

4. — Prob. rat. theol. — Ille solus est sacramentorum institutor, a quo est sacramentorum virtus. Atqui a solo Deo est sacramentorum virtus. Ergo solus Deus est sacramentorum institutor.

5. — Explicatur. — Quod virtus sacramenti non possit esse nisi ab eo qui sacramentum instituit, ex hoc patet quod sacramenta instrumentaliter operantur ad spirituales effectus. Atqui instrumentum virtutem habet a principali agente. Agens vero respectu sacramenti duplex est: scilicet, agens instituens sacramentum, et agens utens sacramento instituto, ipsum applicando ad inducendum illius effectum. Porro virtus sacramenti non potest esse ab eo qui utitur sacramento; quia ille qui sacramento utitur, non operatur nisi per modum ministerii. Ergo restat quod virtus sacramenti sit tantummodo ab eo qui sacramentum instituit, et consequenter quod ille sit sacramentorum institutor, a quo est sacramentorum virtus.

6. — Confirmatur. — Idipsum liquido patet exemplo: nam sicut legem condit qui dat legi vim obligandi, et generaliter loquendo, ille rem aliquam instituere dicitur, qui vim et robur ei tribuit; sic solus Deus, qui potuit tribuere sacramentis vim sanctificandi, dicendus est eorumdem auctor atque institutor; ita quod a nullo alio, etsi angelus sit, institui ea potuerint, nisi ministerialiter, cum

potestas illa principalis, ait Sylvius [1], *superet facultatem et capacitatem creaturae.*

7. — **Scholion.** — Cum dicitur Deus quasdam res sensibiles selegisse in quibus sacramenta instituerit, hoc non est intelligendum, quasi Deus quibusdam significationibus delectetur potius quam aliis; sed nec reputandum est res ipsas sensibiles nihil de se significare.

Primum quidem excluditur per hoc quod Deus omnia quae fecit approbat; hoc autem proprium videtur daemonum, ut quibusdam signis ad aliquid alliciantur; dicit enim S. Augustinus [2]: *Illiciuntur daemones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, quae cuiusque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum.* — Quapropter falluntur illi qui, ex quadam similitudine inter sacramenta nostra et ritus in religionibus paganis adhiberi solitos, inferunt illa ab istis originem duxisse.

Quoad alterum autem, attendendum est quod res sensibiles habent quidem, ex sui natura, aliquam aptitudinem ad significandum spirituales effectus; sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione divina; et hoc est quod intendit Hugo de S. Victore cum dicit [3] quod sacramentum *ex institutione significat.* Attamen praeelegit Deus quasdam res aliis, ad significationes sacramentales, ut sit convenientior significatio [4].

1. In h. l. — 2. L. XXI de Civ. Dei, c. 6, n. 1. t. VII, col. 624. — 3. L. I de Sacram., Part. 9, c. 11. — — 4. Ad 2m.

APPENDIX I.

UTRUM CHRISTUS DOMINUS OMNIA SACRAMENTA PER SEIPSUM DIRECTE INSTITUERIT.

1. — Ratio quaestionis. — Cum absque ulla ambiguitate constet Christum, ut Deus est, esse auctorem principalem sacramentorum, nunc dubitatur utrum, etiam quatenus homo, omnia sacramenta directe et per se instituerit. Dicimus *instituerit:* nam, imprimis, quaestio est de facto, cum ab omnibus concedatur quod Christus potuisset, si voluisset, hanc provinciam Ecclesiae relinquere, ut infra dicetur [1]; deinde dicimus *omnia*, nam licet de pluribus sacramentis evidenter constet, ex auctoritate Scripturae, quod a Christo directe sunt instituta, de quibusdam tamen, signanter de confirmatione et de extrema unctione, diu inter se scholastici Doctores digladiati sunt. Hic igitur statuendum veniet quidnam certo teneri debeat; ubi etiam resolvendum erit qualiter Christus tum materiam, tum formam sacramentorum determinaverit, necnon qualis sit Ecclesiae potestas circa sacramenta.

2. — PROP. — **Solus Christus, ut homo, est auctor ministerialis sacramentorum.**

3. — Auctoritas. — Imprimis haec veritas ita tradita invenitur in Concilio Tridentino [2]: *Si quis dixerit sacramenta novae Legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino Nostro instituta, A. S.* Licet vero canon iste absolute sufficiens fuisset, tamen cum olim quibusdam visum esset Apostolum Iacobum instituisse extremam unctionem, ideo subdit Concilium [3]: *Instituta est autem sacra unctio*

1. Art. 4. — 2. Sess. VII, can. 1. — 3. Sess. XIV, Cap. I de Extr. Unct.

infirmorum tanquam vere et proprie sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro, etc. Item [1] dicitur Christus *venerabilium sacramentorum institutor atque perfector.*

4. — **Corollarium.** — Ex hoc sequitur, nequaquam posse amplius sustineri opinionem quorumdam scholasticorum, inter quos sunt Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus, S. Bonaventura, aliique, dicentium aliqua sacramenta, ut confirmationem et extremam unctionem, non fuisse immediate a Christo, sed ab Ecclesia vel ab Apostolis, instituta; ubi tamen advertendum est necesse forsan non esse, id quod dicunt, intelligere de proprie dicta institutione, sed potius de promulgatione rei iam a Christo Domino substantialiter institutae [2].

At quidquid sit de istis scriptoribus, gravior est quam Alexander Alensis sententia protulit, sacramentum videlicet confirmationis in concilio Meldensi, saeculo nono, fuisse institutum *Spiritu Sancti instinctu,... quantum ad formam verborum et materiam elementarem; cui etiam Spiritus Sanctus contulit virtutem Spiritus Sancti* [3]. Sed haec Alexandri omnino propria est sententia, cui nullus alius auctor subscripsisse legitur.

5. — **Solvitur tacita difficultas.** — *Obiicienti,* in textibus supra citatis, agi de Christo Domino, ut Deus est, — *respondetur* negando: nemo enim unquam dubitavit quin

1. Sess. XXIV, doctrina de sacramento Matrimonii. Cf. can. I. — 2. Vide quae hac super re erudite disseruntur ab annotatoribus Opp. S. Bonaventurae, in 4, Dist. VII, Art. 1, Quaest. I. Scholion, t. IV, p. 164. — Singulare et dignum quod hic recenseatur est illud quod ponit Seraphicus Doctor in Breviloquio, P. VI, c. 4, t. V, p. 268: *Instituit* (Christus) *praedicta sacramenta diversimode: quaedam scilicet ex eis confirmando, approbando et consummando, ut matrimonium et poenitentiam; quaedam autem insinuando et initiando, ut confirmationem et unctionem extremam; quaedam vero initiando, et consummando et in semetipso suscipiendo, ut sacramentum baptismi, eucharistiae et ordinis.* — 3. Summa theol., P. IV, Q. IX, membr. I, *resol.*

omnia sacramenta auctoritative sint a Deo instituta. — Nec dicatur praecedentes auctoritates intelligi posse hoc sensu, quod Christus ut homo, per Ecclesiam, tanquam per agens immediatum, sacramenta instituerit: nam quae ab Ecclesia sunt instituta, non solent dici instituta a Christo: immo oppositio solet adseri inter instituta a Christo et instituta ab Ecclesia. Adhuc, eiusdem potestatis est mutare et instituere: atqui Ecclesia agnoscit [1] se potestatem tantum habere in sacramentorum dispensatione, scilicet *salva eorum substantia:* ideoque implicite testatur se in eorum mutatione omni potestate carere.

6. — Confirmatur. — De quorumdam sacramentorum institutione per Christum expressa fit mentio in Scripturis. Atqui idem iudicium ferendum est de aliis de quibus tacetur, quia in hac re par est omnium ratio, cum sacramenta omnia sint fundamentum fidei et religionis christianae, ideoque non possint ab alio esse, quam ab eo, a quo est ipsa fides [2]. Quapropter Apostoli, ad quos praecipue sacramentorum institutio pertinuisset, non se institutores, sed tantum ministros et dispensatores eorumdem appellant [3].

7. — Reiiciuntur modernisticae de sacramentorum origine positiones. — Ex traditis sequitur, omnino reiiciendas esse sequentes positiones de origine sacramentorum a modernistis excogitatas.

I. *Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres tridentini imbuti erant, quaeque in eorum canones dogmaticos proculdubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent* [4].

1. Conc. Trid., Sess. XXI, cap. 2. — 2. Franc. Sylvius, in h. l. — 3. I Cor., III, 5; ibid., IV, 1; 1 Pet., IV, 10, 11. — 4. Prop. XXXIX inter LXV condemnatas decreto S. Officii, 3 Iulii, 1907, *Lamentabili sane exitu.* Haec propositio fere ad verbum hauritur ex venenato fonte A. Loisy:

Sane, quod doctrina Patrum tridentinorum repraesentet Ecclesiae traditionem, evidenter patet ex iis quae expresse docet, inter alios, S. Augustinus, qui, prae caeteris, merito habetur tanquam testis, nemine contradicente, catholicae doctrinae de sacramentorum origine. Revera, celebris omnino est sequens S. Doctoris sententia, ubi dicit [1] Christum Dominum *sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colligasse.* Qui rursus ait [2]: *Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quae societatem christiani populi, hoc est sub uno Deo, liberae multitudinis continerent.*

Quod autem habet idem sanctus Pater, nempe: *Quaedam pauca pro multis eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima, ipse Dominus et Apostolica tradidit disciplina: sicuti est baptismi sacramentum, et celebratio corporis et Sanguinis Domini,* [3] — non ita intelligendum est, quasi Deus quaedam sacramenta, Apostoli vero alia instituerint; sed sic, ut quae Dominus noster tanquam institutor fundavit, eadem Apostoli, tanquam promulgatores, tradiderint.

Sed nec tacenda hic est celebris sententia, quae sub nomine S. Ambrosii recitatur, qua constans Ecclesiae

---

Le concile ne définit pas l'histoire, mais la façon dont il convient que la foi l'interprète. Si l'on y regarde de près, il est aisé de voir les opinions que se faisaient, touchant l'origine des sacrements, ceux qui ont formulé ses décrets. Ces opinions sont en rapport avec la connaissance qu'on avait, en ce temps-là, des origines chrétiennes, c'est-à-dire qu'elles sont fort éloignées de celles que professent les historiens contemporains, même catholiques. AUTOUR D'UN PETIT LIVRE, p. 223.

1. Ep. LIV ad Ianuar. Cap. 1, n. 1. Paris, t. I, col. 124. — 2. L. de vera Relig., c. XVII, n. 33, t. I. Lugd. 1664, p. 279. — 3. L. III de doctr. christ. c. IX, t. III, p. 17.

fides expresse continetur[1]: *Auctor sacramentorum, quis est, nisi Dominus Iesus: de caelo ista sacramenta venerunt.*

II. Multo minus probari potest haec altera modernistica propositio[2]: *Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt*[3].

Haec sententia, quae aliud non est, nisi quaedam applicatio ad sacramenta doctrinae evolutionisticae Spencer et Kant, invenitur implicite condemnata in formula iurisiurandi[4], in qua sic legitur: *Prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo quem prius habuit Ecclesia.*

8. — **Modernisticus de sacramentorum valore conceptus.** — Ex doctrina hucusque tradita aperte constat, quam erronee modernistae doceant *sacramenta eo tantum spectare, ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam*[5]. Sane, commune hoc est omnibus rebus visibilibus, ut mentem nostram ducant in considerationem Dei eiusque attributorum, iuxta

1. L. IV de Sacramentis, c. 4. Inter opp. S. Ambrosii. Contendunt eruditi librum hunc, qui ad tramitem libri S. Ambrosii *de Mysteriis* videtur confectus, huius sancti Patris non esse, sed Nicetae de Romatiana, et quinto vel sexto saeculo labente, scriptum fuisse. Cf. BARDENHEWER, Les Pères de l'Eglise, t. II, S. Ambroise, § 68, p. 329. — 2. Decret. *Lament.*, Prop. 40. — 3. Hoc etiam apud LOISY sic legitur: *Les sacrements sont nés d'une pensée et d'une intention de Jesus, interprétées par les apôtres et par leurs successeurs, à la lumière et sous la pression des circonstances et des faits.* L'EVANGILE ET L'EGLISE, p. 236. — 4. In motu proprio, *Sacrorum Antistitum.* — 5. Decret. *Lament.*, prop. 41. *Ces symboles* (sacramentels), ait iterum LOISY,... *ne font que rappeler* (à l'homme) *la présence perpétuellement bienfaisante de son Créateur.* AUTOUR D'UN PETIT LIVRE, p. 261.

illud S. Pauli [1]: *Invisibilia* (Dei), *a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur*. Quapropter, si sacramenta id tantum praestarent, ut in mentem nostram revocarent misericordis Dei praesentiam, nihil in eis amplius esset, quam in tot rebus aut etiam humanae vitae eventibus, quibus Dei in nos benignitas commendatur [2].

Praeterea, recolatur id quod de sacramentis sive novae, sive veteris Legis dictum est, illa scilicet esse signa rei sacrae, non utcumque, sed in quantum haec res sacra est sanctificans homines; quinimmo, sacramentis novae Legis, quae in citata propositione maxime considerantur, inest, ut supra dictum est, virtus realis, qua gratiam instrumentaliter producunt, ad sanctificationem animarum nostrarum. Certe, ad lutheranam haeresim, ut diximus [3], pertinet quod dicantur sacramenta novae Legis esse nuda signa fidem excitantia, quod etiam in Tridentino Concilio solemniter reprobatum est [4]. Sed nec sic veteris Legis sacramenta nuda signa dicenda sunt, quasi id tantum praestiterint, ut fidei protestationem causarent, cum et ipsa ex opere operato, ut supra dictum est, etsi non instrumentaliter, ad gratiam producendam concurrerint [5].

9. — Ratio silentii Scripturarum circa divinam quorumdam sacramentorum institutionem, aut circa res quibus Ecclesia in sacramentorum administratione utitur. — Porro, cum de quodam sacramento, puta de confirmatione, necnon de pluribus, sive rebus, sive verbis, sive factis, quibus in sacramentis Ecclesia utitur, nulla fiat in Sacra Scriptura mentio, non inutiliter causa huius silentii hic investigabitur.

Quae quidem duplex potest assignari. Primo, ea quae in Sacris Scripturis expresse posita non sunt, fideliter

1. Rom., 1, 20. — 2. Cf. Supra, Quaest. LX, art. 2, n. 5, p. 20. — 3. Cf. supra, Quaest. LXII, art. 1, n. 11, p. 90. — 4. Sess. VII, Can. 6 de Sacr. in genere. — 5. Quaest. LXII, art. 6 et App. II.

consignata manent in traditione, ex qua Ecclesia illa accepit; quo sensu dicit Apostolus [1]: *Caetera cum venero disponam.* Secundo, mirandum non est, plura huiusmodi in Evangeliis desiderari, cum expresse legatur [2] Christus Dominus, post suam resurrectionem, per dies quadraginta discipulis apparens, eisdem locutus fuisse de regno Dei; seu, ut expressius in graeco habetur, *ea quae sunt* de regno Dei, τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, scilicet pertinentia ad Ecclesiam aedificandam et administrandam [3]: enimvero, iuxta Scripturae morem, per regnum Dei Ecclesia nominari consuevit. Ad rem S. Leo [4]: *Non ergo ii dies qui inter resurrectionem Domini ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu; sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria.*

10. — **Arcani disciplina.** — Adest praeterea ratio deprompta ex disciplina arcani, quam in initio Ecclesiae viguisse, contra id quod modernistae affirmant, ambigendum non est. Nimirum, ne sanctum canibus et margaritae porcis obiicerentur [5], idest ne secretiora sanctissimae religionis christianae mysteria, si quidem scripto fuissent mandata, in infidelium notitiam venirent ab eisque contemptui haberentur, consulto factum est ut ad nos usque per oralem traditionem pervenirent. Cuius rei vestigium habetur apud Innocentium primum [6], qui de confirmatione loquens, ait: *Verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Cui consonat illud S. Augustini [7]: *Norunt fideles.* Et alibi [8]: *Nosti in quo sacrificio dicatur:* GRATIAS AGAMUS DOMINO DEO NOSTRO. Iterumque [9] de catechumenis scribit quod *non eis sacramenta fidelium produnt.*

1. 1 Cor., XI, 34 — 2. Act., I, 3. — 3. Ad 1m. — 4. Serm. I de Ascens. Dom., c. II. Paris, 1641, p. 71. — 5. Matth., VII, 6. — 6. Epist. I ad Decentium. — 7. In Psalm. XXI. — 8. Ep. LVII. — 9. Tract. CXVI in Io., n. 3.

11. — Liber de Ecclesiastica Hierarchia. — Nec silendum quod in libro de *ecclesiastica Hierarchia* legitur[1], ubi admonetur Timotheus, ne sancta sanctorum enunciet, aut minus perfecti stradat; et iterum[2]: *Precationes, quae in mysteriis adhibentur, nefas est scripto interpretari, et arcanum earum sensum virtutesque, quas in iis Deus operatur, e secreto in publicum efferre; sed ut nostra sacrosancta traditio docet, ubi eas secretioribus instructionibus hauseris, atque ad habitum sacratiorem, atque capaciorem intelligentiam, divino amore sacrisque actionibus consummatus evaseris, divina luce collustratus ad supremam earum scientiam subveheris.* Τὰς δὲ τελεστικὰς ἐπικλήσεις οὐ θεμιτὸν ἐν γραφαῖς ἀφερμηνεύειν, οὐδὲ τὸ μυστικὸν αὐτῶν, ἢ τὰς ἐπ' αὐταῖς ἐνεργουμένας ἐκ Θεοῦ δυνάμεις ἐκ τοῦ κρυφίου πρὸς τὸ κοινὸν ἐξάγειν· ἀλλ' ὡς ἡ καθ' ἡμᾶς ἱερὰ παράδοσις ἔχει, τοῖς ἀνεκπομπέτοις μυήσεσιν αὐτὰς ἐκμαθὼν, καὶ πρὸς θεότερσιν ἕξιν καὶ ἀναγωγήν, ἔρωτι θείῳ καὶ ἐνεργείαις ἱεραῖς ἀποτελεσθεὶς, ὑπὸ τῆς τελεταρχικῆς ἐλλάμψεως ἀναχθήσῃ πρὸς τὴν ὑπερτάτην αὐτῶν ἐπιστήμην. — Ostendunt autem eruditi, a veteribus, non solum baptismum et Eucharistiam, verum etiam reliqua sacramenta catechumenis et infidelibus occultari consuevisse[3].

APPENDIX II.

Qualiter determinaverit Christus tum materiam tum formam sacramentorum.

1. — Quotuplex sit determinatio. — Ad alteram gravem quaestionem, de qua in Scholis acriter disceptatum est, rite solvendam, scilicet, qualiter Christus determinaverit tum materiam, tum formam sacramentorum, ad-

1. C. 1. — 2. Cap. VII, § 10, Migne, t. I, pag. 565. — 3. Emman. Schlestrate, Dissert. apolog. de disciplina Arcani. Romae, 1865, cc. 2, 3.

vertendum imprimis est, multipliciter intelligi posse determinationem aut designationem alicuius rei fieri. Nempe hoc esse potest, aut in *genere* tantum, ut puta, si diceretur Christus statuisse ut aliquod signum sensibile idoneum adhiberetur, non determinando hoc vel illud; aut potest fieri in *specie,* et quidem in specie infima, puta, designata aqua pro baptismate, pane ac vino pro Eucharistia; aut iterum esse potest secundum *accidentia,* puta, determinando aquam fluidam, non congelatam, pro baptismo; aut denique in *individuo,* ut si requireretur haec aqua, hoc vinum, etc. — Porro, apud omnes convenit Christum non determinasse materiam in individuo concreto, cum sic nimis coarctatus maneret sacramentorum usus.

Igitur dubium est, utrum Dominus noster materiam et formam sacramentorum, in specie, et quidem infima, instituerit, an tantum generice, ut plures voluerunt, quorum sententia exprimitur his verbis Contensonii [1]: *Non est contemnenda generalis eorum responsio, qui dicunt Christum Dominum materiam et formam omnium sacramentorum, veluti generice, sed non specifice, determinasse.*

2. — PROP. — **Res et verba, in omnibus sacramentis Novae Legis, divinitus determinata sunt, non solum in genere, sed etiam in specie infima.**

3. — **Auctoritas S. Thomae et Benedicti XIV.** — Imprimis, hanc esse mentem S. Thomae evidenter patet ex ordine articulorum in prima quaestione positorum: nam distinctis articulis quaesivit S. Doctor, primo, de assignatione generica tum rei sensibilis [2], tum verborum [3] in sacramentis; secundo autem, specialiter investigavit rationem determinationis aliquarum rerum [4] et aliquorum verborum [5] accommodatorum unicuique sacramento.

1. Theol. mentis et cordis, l. XI, P. I, Dissert. I, cap. 1. — 2. Quaest. LX, Art. 4. — 3. Art. 6. — 4. Art. 5. — 5. Art. 7

Notanda quoque sunt verba Benedicti XIV qui, loquens de potestate specificandi materiam et formam sacramentalem, sapienter monet[1]: *Non satis probatur quod Christus Dominus praedictam potestatem fecerit Ecclesiae; imo oppositum videtur evinci ex Tridentino*[2], *ubi declarat a Christo relictam esse Ecclesiae potestatem mutandi quae sacramentorum dispensationem respiciunt, salva illorum substantia; mutatio vero materiae et formae non ad ritum et dispensationem, sed ad substantiam pertinet.*

4. — Error. — Hac de re non ita pridem graviter errasse perhibetur scriptor quidam, qui loquens de epiclesi[3], seu invocatione Spiritus Sancti, quae, ut omnes norunt, penes Graecos, consequitur consecrationem elementorum, sententiam edixit, signanter ex intentione Ecclesiae hoc derivatum, ut penes ipsos Graecos consecratio actu non perageretur, nisi iam completis verbis epicleseos: quo videlicet importaretur, nedum Ecclesiam ius habere mutandi substantiam sacramentorum, sed etiam falsa esse verba institutionis a Christo Domino prolata[4]. Quo faciunt verba Pii X[5] qui alludens ad praedictum de epiclesi errorem, ait: *Sed nec ibidem intacta relinquitur catholica doctrina de Sanctissimo Eucharistiae sacramento, cum praefracte docetur, sententiam suscipi posse quae tenet apud Graecos verba consecratoria effectum non sortiri, nisi iam prolata oratione illa quam epiclesim vocant, cum tamen compertum sit Ecclesiae minime competere ius circa ipsam sacramentorum substantiam quidquam mutandi.*

5. — Probatur prop. — In promptu autem est theologica ratio, ad supradictam propositionem conficien-

1. De Synodo dioec., l. VIII, c. X, n. 10. — 2. Sess. XXI, cap. 2 — 3. Ab ἐπίκλησις, *invocatio*. — 4 Haec legere fuit in Ephemeride Roma e l'Oriente. Nov. 1910, p. 25. — 5. Epist. *Ex quo*, 20 Dec., 1910.

dam. Nimirum, si Christus Dominus per seipsum immediate instituit omnia sacramenta, ergo et materiam et formam in specie determinare debuit, cum sacramenta ex hisce essentialiter constent.

Rursus, sacramenta novae Legis praestant ritibus sacramentalibus veteris Legis dignitate et efficientia. Atqui ritus veteris Legis fuerunt a Deo immediate determinati, et quidem quoad speciem infimam. Ergo multo magis sacramenta novae Legis debuerunt a Deo immediate et specifice institui. — Revera Christus materiam et formam quorumdam principalium sacramentorum, puta Eucharistiae, in specie infima determinavit; pariter, ab omnibus conceditur illum elementa constitutiva baptismi et poenitentiae statuisse; porro, nulla prorsus est ratio cur idipsum de caeteris sacramentis non debeat asseri.

Diximus Christum Dominum instituisse sacramentorum materiam in atomo, id est, non secundum genus tantum, sed etiam secundum speciem infimam; secus, si bene consideretur, negandus omnino esset materiam instituisse, cum generica tantum institutio, nimis vaga sit et indeterminata, quam ut dici possit Christum auctorem habere.

6. — Confirmatur. — Teste citato Benedicto XIV, nullum in historicis monumentis prostat vestigium, quo deprehendatur Ecclesiam determinasse sive formam, sive materiam sacramentorum: *Gratis omnino,* ait ille [1], *et arbitrario fingitur quod Ecclesia ea* (facultate) *usa fuerit: dicant enim ubi et quando, quo saeculo, in quo concilio, a quo Pontifice facta sit eiusmodi mutatio.* Quod quamdiu ignorabitur, scite concludit Al. Ad. Paquet [2], praesumptio stabit pro determinatione facta ab ipso sacramentorum auctore Christo.

1. Loco cit. — 2. De Sacramentis, P. I, Disput. I, Q. I. art. 3. Romae, 1909, p. 20.

7. — **Sententia Emi Card. Billot.** — Placet hic verba referre, quibus hac super re mentem suam aperit Emus Card. Billot. *Sufficit,* ait ille [1], *ut divina institutio cadat super constitutiva sacramenti sub ratione generali cuiusdam signi symbolici aliunde apti ad certam quamdam significationem sacramentalem (puta significationem traditionis potestatis sacrae), relicta interim competenti auctoritati electione materiae et formae omnino in individuo. Et sic, cum uniformitate circa id quod divinae institutionis est, scilicet circa signum sacramentale formaliter qua sacramentale, poterit haberi quaedam diversitas mere materialis quoad elementa quibus constat.*

Porro vix est, cum reverentia tanto viro debita dicam, ut sententiae huic subscribere possimus. Enimvero, positio haec, dum viam aperit innumeris variationibus, omne simul adimit fixum fundamentum, cui sacramentorum essentialia innitantur, cum unum idemque generale signum possit infinitis pene modis variari.

Si enim Christus Dominus, puta, pro baptismi sacramento, nihil aliud determinatum reliquerit, nisi quod aqua adhiberetur, quin et aquae naturam et modum quo aqua adhiberi debeat in atomo statuerit, cum varia sint aquarum genera, et deinde varii modi eamdem aquam adhibendi, puta, liquidam vel congelatam, ad potum, ad refrigerium, ad ablutionem, etc., si Christus sacramentorum elementa in atomo non determinaverit, nil certi in eorum administratione haberi poterit, et quod modo adhibetur, utique accedente Ecclesiae auctoritate, stato tempore mutari poterit, quod quidem magnum est inconveniens.

8. — **Determinatio ex parte materiae et ex parte formae.** — Ulterius ad praecavendas difficultates quae ex variationibus formarum oriri possunt, et simul ad intelli-

1. De Eccl. Sacram. 4ª ed. 1907, t. 1, p. 35.

gendum quo pacto Dominus Noster determinaverit tum materiam tum formam singulorum sacramentorum, sedulo distinguere oportet inter materiam et formam. Et quidem, cum de forma agitur, cum haec exprimatur verbis quae ad idem substantialiter significandum varia possunt adhiberi, non solum secundum varietatem idiomatum, sed etiam secundum varietatem locutionum in uno eodemque idiomate, hinc absque ulla difficultate admitti potest differentia, et haec etiam non parva, in formis diversorum sacramentorum: cuius rei indicio esto varietas quae invenitur inter formas quibus utitur Ecclesia latina, et varias orientalium ecclesiarum formas, salva scilicet substantiali significatione unius eiusdemque rei. — Ad rem faciunt verba S. Bonaventurae[3]: *Non fuerunt verba praefixa nisi in solis duobus sacramentis, quibus Dominus verba specialia ore proprio praedixit; et ideo in aliis, etsi verba sint necessaria, non tamen sunt determinata vocabula; sed verba quaecumque sensum exprimentia, quantum est de ratione sacramenti, sufficiunt, si quis in haeresim introducere non intendat. Sed nunc necessarium est servare formam ab Ecclesia statutam et approbatam.*

At, cum circa sacramentorum materiam non tanta admittatur varietas, cum tot non sint circa materiam accidentales differentiae, quot sunt circa verba formae, hinc maior, saltem specie tenus, circa materiam, quam circa formam sacramentorum, debet uniformitas observari.

9. — Scholia. — I. Per hoc quod diximus in thesi, Christum rem omnium sacramentorum determinasse in specie infima, non excluditur quin eam in aliquo sacramento etiam quoad accidentia determinaverit: sic quippe aquam non congelatam, sed fluidam in baptismate adhiberi voluit.

1. Cf. tract. de Ordine, Quaest. II, art. 1.

II. Negandum non est Ecclesiam, sub speciali Dei motione, tanquam instrumentum sub causa principali, aliquid circa sacramenta statuere potuisse, ut videre est maxime circa sacramentum ordinis, scilicet relate ad ordines inferiores [1]: quo casu ista determinatio, potius quam Ecclesiae, tribuenda est ipsi Deo, et talis institutio ad ius divinum, potius quam ad ius ecclesiasticum, pertinet. Huc spectant verba S. Thomae [2]: *Nulli licet mutare formam sacramenti, quantum ad id quod est de essentia formae, absque speciali consilio Spiritus Sancti.*

10. — Solvuntur difficultates. — Quae ab adversariis obiiciuntur, praecipue respiciunt confirmationem, ordinem et matrimonium, de quibus pauca hic tantum dicemus, remissa ad respectivos tractatus uberiori hac super re expositione.

Et primo, quod ad *confirmationem* attinet, utique invenitur forma graves, decursu temporis, subiisse mutationes, quae tamen substantiam non attigerunt: aliunde novimus, ex auctoritate S. Augustini [3], quod verbum operatur in sacramentis, non secundum exteriorem sonum vocis, sed secundum sensum verborum qui fide tenetur.

Circa *ordinem*, ad solvendum discrimen inter Ecclesiam latinam et graecam circa traditionem instrumentorum, dici solet illam tantum materiam essentialem esse, quae semper et ubique fuit in usu, tum apud Latinos, tum apud Graecos, scilicet impositionem manuum; traditionem autem instrumentorum, quae apud solos Latinos viget, etsi necessaria sit de praecepto, non tamen ad essentiam sacramenti pertinere, saltem loquendo de ordinibus hierarchicis. At, forsan probabilius dici potest, etiam apud Graecos, non deesse, in huius sacramenti administratione,

1. 4, Dist. III, Quaest. I, art. 1, sol. 2ª. — 2. 4, Dist. XXIV, P. II, art. 1, Quaest. IV, n. 5, t. IV, p. 628. — 3. Tract. LXXX sup. Io., n. 3, t. III, P. II, col. 703.

instrumentorum aliquam traditionem, etsi haec non tam patens et explicita existat[1].

Demum, quantum ad *matrimonium,* Ecclesia, impedimenta dirimentia sanciendo, non mutavit essentiam sacramenti, sed tantum definivit conditiones legitimitatis consensus coniugum pro temporum opportunitate, cum sacramentum huiusmodi rationem induat veri contractus.

APPENDIX III.

QUAENAM FUERIT APOSTOLORUM AUT EORUM SUCCESSORUM POTESTAS CIRCA SACRAMENTA?

1. — Apostoli eorumque successores nova sacramenta instituere nequiverunt. — Cum Apostoli eorumque successores sint vicarii Iesu Christi quantum ad regimen Ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta, ideo sicut eis non licet constituere aliam Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta, cum per sacramenta, quae de latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt, dicatur esse fabricata Ecclesia Christi. Quocirca, ea quae sunt de necessitate sacramenti, quae videlicet ad essentiam sacramentorum pertinent, ab ipso Christo, qui est Deus et homo, ita sunt instituta, ut ab Ecclesia mutari nullatenus valeant, ut dictum est paragrapho praecedenti.

2. — Ecclesiae potestas circa dispensationem sacramentorum. — Attamen, licet Ecclesiae non competat potestas circa substantiam sacramentorum, nihilominus ad eam spectat iure nativo ea statuere quae ad eorumdem sacramentorum dispensationem pertinent. Huiusmodi autem dispensatio respicit tum quaestionem de liceitate,

1. Cf. tr. n. DE ORDINE, Quaest. II.

sive in ministrante sive in suscipiente, tum quaestionem de validitate: non quasi sacramentorum essentiam ipsa possit mutare; sed quatenus ad eam pertinet conditiones determinare in quibus sacramentorum validitas in concreto dependet.

3. — Probatur huius potestatis existentia. — Quod autem talis potestas ab Ecclesia revera possideatur, evidenter patet ex declaratione Concilii Tridentini[1]: *Declarat* (Sancta Synodus) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum veneration, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire iudicaret... Quare agnoscens sancta Mater Ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem*, etc. Pariter Leo XIII[2] scite fatetur: *De sacramentis statuere et praecipue, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia.* Aliunde ipsemet Apostolus, loquens de potestate discretionis qua usus fuerat in relaxanda poena hominis Corinthii qui publice vixerat in incestu, dicebat[3]: *Nam et ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*[4], hoc est, ait Dionysius Cartusianus[5], *vice et loco Christi, cuius vicarii sumus, quibus et ipse suam potestatem commisit*[6].

4. — Corollarium. — Quocirca, Ecclesia sua utitur potestate, cum impedimenta constituit matrimonium tum impedientia, tum etiam dirimentia; cum casus reservatos

1. Sess. XXI, Cap. II. — 2. Encycl. *Arcanum*, de matrimonio christiano. — 3. 2 Cor., II, 10. — 4. Ad 3m et 1m. — 5. Enarratio in h. l., t. XIII, p. 220. — 6. Scite advertit Estius (Commentarius in h. l. S. Pauli), Erasmum non satis se ostendisse in Scripturis exercitatum, cum verba S. Pauli, ἐν προσώπῳ Χριστοῦ, vertit: *in conspectu Christi*, cum nuspiam in Scripturis Sacris, hoc quod latine saepenumero legitur, *in conspectu* et *coram*, graece reddatur ἐν προσώπῳ.

statuit, aut censuras quibusdam peccatis adnectit; cum potestatem simplici sacerdoti facit sacramentum confirmationis conferendi; cum in matrimonio rato et non consummato iustis de causis dispensat, etc.

APPENDIX IV.

Utrum Ecclesiae competat potestas caeremonias et ritus in sacramentorum administratione instituendi.

1. — Quid sint caeremoniae et ritus. — Licet vocabula, *caeremoniae* et *ritus*, promiscue adhiberi soleant, differunt tamen formaliter in hoc, quod nomen *ritus* significat complexum verborum, actionum vel rerum quae in liturgia vel in sacramentorum administratione adhiberi praescribuntur [1]; caeremoniae vero ad actualem verborum prolationem, actionum exercitationem vel rerum adhibitionem significandam usurpatur. Rituum vel caeremoniarum finem indigitat Concilium Tridentinum, dum ait [2]: *Mentes fidelium, per haec visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimarum contemplationem excitantur.*

2. — Variae caeremoniarum species. — Porro, caeremoniarum aliae consistunt in verbis, ut benedictiones; aliae in actionibus vel corporis motibus, ut crucis signa vel genuum flexio; aliae demum in usu quarumdam rerum, ut lumina, vestes, incensum, etc. Rursus, ex caeremoniis, quaedam habent Christum auctorem, ut elevatio oculorum in sacerdote ante consecrationem; aliae origi-

1. Uti patet, nomen ritus hic non sumitur ad designandam specialem liturgiam alicuius gentis propriam, cui etiam speciales leges adnectuntur, quo sensu dicitur ritus graecus, armenus, coptus, etc. — 2. Sess. XXII, cap. 5.

nem repetunt vel ab Apostolis vel ab Ecclesia, ut certarum precum recitatio in Missa; denique aliae caeremoniae in universa Ecclesia usurpantur, aliae in particularibus ecclesiis aut in ordinibus religiosis.

3. — PROP. — **Ecclesiae ius inest, ritus et ceremonias instituendi in sacramentorum administratione.**

4. — **Verba S. Pauli.** — Imprimis, potest haec veritas erui ex verbis S. Pauli, ubi, postquam de sanctissimo Eucharistiae sacramento plura docuisset, mox concludit [1]: *Cetera, cum venero, disponam:* significans se plura, ad tanti sacramenti venerationem et ad maiorem fidelium profectum per eiusdem susceptionem, constituturum fore. Quocirca videmus, inde ab exordio christianae religionis, speciales ritus fuisse institutos, maxima circa baptismi, Eucharistiae et poenitentiae sacramenta, quorum prisci scriptores, ut S. Iustinus [2] et Tertullianus [3] faciunt mentionem: quos etiam et antiquae Constitutiones et veteres libri liturgici commemorant. Unde mirum non est, protestantes, qui olim caeremonias Ecclesiae catholicae ludibrio verterant, postea ipsa rei veritate compulsos, easdem ultro adoptasse [4].

5. — **Rat. theol.** — Revera eo tendit legislativa Ecclesiae potestas, ut rite determinet et decernat quae Dei honori, necnon fidelium utilitati, in rebus ad divinum cultum pertinentibus, magis expediant. Atqui inter res ad divinum cultum spectantes, certe eminet sacramentorum administratio, qua simul divinae gloriae et hominum saluti consulitur; maxime cum praestantissimum inter sacramenta, scilicet Eucharistia, sit simul sacrificium, quo latriae honor Deo praestatur. Ergo ad Ecclesiam spectat

1. 1 Cor., XI, 34. — 2. Apologet., I, n. 61. — 3. De Corona, cc. III, IV. — 4. Cf. Perrone, Tr. de Sacram. in genere, c. IV.

congruos ritus atque opportunas caeremonias statuere quibus sacramentorum administratio cohonestetur.

Qua in re, legimus solemniter sancitum [1]: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse A. S.* [2].

6. — Ecclesiae traditio. — Quae cum ita sint, Ecclesia, pro potestate qua a divino suo Fundatore donata est, sanctum semper habuit sacramentorum administrationem omni illa rituum et caeremoniarum observantia circumdare, qua et illorum sanctitati et fidelium utilitati consuleret. Huius potestatis testis est, inter alios, S. Basilius, qui ait [3]: *Benedicimus et aquam baptismatis, et oleum unctionis, imo ipsum etiam qui baptismum accipit. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione?*

7. — Caeremoniarum utilitas. — Qualis autem sit caeremoniarum utilitas in sacramentorum administratione adhiberi consuetarum, egregie tradit Catechismus romanus [4]: *Merito quidem a primis usque Ecclesiae temporibus illud semper servatum est, ut sacramenta solemnibus quibusdam caeremoniis ministrarentur. Primum enim maxime decuit, sacris mysteriis eum religionis cultum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur. Praeterea, quae sacramento efficiuntur, caeremoniae ipsae magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, et earum rerum sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur et diligenter observant, ad sublimium*

1. Conc. Trid., Sess. VII, can. 13. — 2. Digna sunt quae accurate perlegantur ea quae hac de re habet CARD. BELLARMINUS, l. II de Sacramentis, cc. 29-32. — 3. L. de Spiritu Sancto, c. 27, n. 66. — 4. P. II, c. 1, n. 18.

rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis ac caritatem excitant: quo maior cura et diligentia adhibenda erit, ut fideles rim caeremoniarum, quibus singula sacramenta conficiuntur, cognitam et perspectam habeant.

Huc quoque spectant quae scribit doctissimus Cardinalis Bona [1]: *Licet ipsae caeremoniae nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem; sunt tamen actus externi religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur caritas, crescit fides; devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur religio, et veri fideles a pseudo christianis et heterodoxis discernuntur.* — Quae cum ita sint, mirum non est si ipsimet protestantes, rei veritate compulsi, eos reprobaverint, qui specie novitatis, receptas caeremonias violant aut superbe contemnunt [2].

8. — **Solvuntur difficultates.** — I. Monet fideles Apostolus [3], ne sinant se decipi per *inanem fallaciam, secundum traditionem hominum.* Atqui huiusmodi caeremoniae pertinent ad humanam traditionem. Ergo.

Resp. Apostolus, in citato textu, non ex professo de caeremoniis aut ritibus loquitur, sed de doctrina fidei, quam ille petendam vult, non ex hominibus pharisaismi placitis deditis, sed ex puro Evangelii fonte, sepositis superstitiosis et hominis industria confictis observantiis. Hoc patet ex scopo huius Epistolae, quae erat imprimis praemunire Colossenses ab illorum erroribus, qui pervertere conabantur sinceritatem apostolicae doctrinae, necnon ex principali conclusione discursus S. Pauli [4]: *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huiusmodi, quid*

1. Div. Psalm., cap. XIX, § 3. — 2. Cf. Perrone, l. cit. — 3. Col., II, 8. — 4. Ibid., 20.

adhuc tanquam viventes in mundo decernitis? ubi graece legitur: τί ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ δογματίζεσθε· Non igitur apostolicas traditiones, sive dogmaticas, sive disciplinares, revocandas vult Apostolus, qui potius easdem retinendas inculcat [1]; sed quae a pravis hominibus fuerant inductae, nullum habentes in verbo Dei, vel scripto vel orali, fundamentum: quas similiter Ecclesia, sicut olim S. Augustinus [2], reprobare non desistit.

II. Ex rituum apparatu et multitudine, periculum incurritur ne fidelium mens obruatur, et ne confundatur, in sacramentorum administratione, id quod essentiale est cum eo quod ad integritatem sacramenti tantummodo pertinet.

Resp. Periculum huiusmodi facile elongatur, si fideles, uti decet, in sacramentorum natura rite instruantur: quae quidem res eorum capacitatem non excedit, cum, puta, apud omnes probe innotescat baptismum, in necessitatis casu, solis verbis: *Ego te baptizo,* etc., simul cum infusione aquae naturalis confici. — Quod si de unius alteriusve sacramenti, puta ordinis, materia adhuc dubitatur, hoc ex traditionis obscuritate provenit, cum et Ecclesia nihil adhuc hac super re decreverit.

9. — **Quaestio.** — *Utrum dici possit Ecclesia sacramentorum ritus a Iudaeis, vel etiam ab ethnicis desumpsisse?*

Resp. Etsi plures, etiam ex catholicis scriptoribus, contendant Ecclesiam nonnullas rituum vel caeremoniarum formas a Iudaeis, vel etiam ab ethnicis desumpsisse, id tamen concedi certo nequit de omnibus talibus ritibus, iis maxime quae ad sanctissimae Eucharistiae confectionem et administrationem pertinent. Porro, quidquid de hac re historice dicatur, duo apud omnes in comperto sint oportet: primo, cum hominis naturae consentaneum

1. 2 Thess., II, 14. — 2. Ep. LV ad Ian., cap. 19, n. 35, t. II, col. 142.

sit, ut per corporalia ad spiritualia veluti manuducatur, hinc mirandum non est, si vel in falsis religionibus, puta in mysteriis Isidis et Mithrae, signa inveniantur nostris sacris caeremoniis analogice similia, puta in usu quarumdam rerum aut vocum, vel in certis corporis actionibus. Secundo, haec quidem in falsis religionibus et in vera similia sunt, non univoce, sed analogice, cum in illis cultui superstitioso fovendo inserviant, in hac vero hominem ad verum Deum rite colendum perducant. Quocirca, si quas rituum formas ab ethnica vel iudaica religione mutuata sit Ecclesia, illas ab omni superstitionis specie purificavit atque mundavit.

APPENDIX V.

Utrum Ecclesia convenienter adhibuerit linguam latinam in sacramentorum administratione.

1. — Usus linguae latinae. — Inter ea quae circa sacramentorum administrationem Ecclesia statuit, non infimum tenet locum, pro partibus Occidentis, usus linguae latinae: hoc quippe idiomate adhibito, magna vitantur incommoda, et multa bona procurantur, quae hic breviter recoluisse non pigebit.

2. — Utilitates idiomatis latini. — Primo quidem, per exclusionem linguae vulgaris in liturgia, praecaventur mutationes et corruptiones quae, multiplicatis idiomatibus, faciliores evadunt; evitatur quoque periculum irreverentiae, quod ex usu linguae vulgaris oriri posset; denique evitatur illa significationis incertitudo, quae ex viventium idiomatum fluctuatione exurgit.

Secundo, per usum linguae latinae melius obtinetur unitas in fide, quae est Ecclesiae vinculum; fidei quoque universalitas apertius demonstratur, cum eodem ubique

idiomate celebretur; demum fovetur studium Patrum ac Doctorum Ecclesiae, quorum scripta potissime latina lingua sunt exarata.

3. — Differentia inter sectas protestanticas et Ecclesiam catholicam. — Monet autem opportune Card. Bellarminus [1], ideo praecipue Protestantes a nobis in usu idiomatis in sacramentorum administratione adhibendi dissentire, quod illi sacramentalibus verbis vim tantum concionalem adnectunt, quasi illa ad plebem erudiendam formaliter ordinentur; at vero, cum formulae in sacramentorum confectione adhibitae revera sint institutae ad quamdam sanctificationem vel consecrationem elementorum conficiendam, ideo lingua potius latina, quae tot saeculorum usu ab Ecclesia et scriptoribus sacris sancita manet, catholici utuntur.

4. — Solvitur tacita difficultas. — Difficultati autem quae contra usum linguae latinae in liturgia a protestantibus ex hoc movetur, quod non ab omnibus intelligitur, facile occurritur, advertendo adstantes vel linguam latinam callere, vel ex libris lingua vulgari editis caeremonias et formas sacramentorum percipere posse, vel saltem corde Ecclesiae ritibus ac precibus sociari [2].

ARTICULUS III. — *Utrum Christus, secundum quod homo, habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum.*

1. — Quid praestiterit Christus ut Deus, quid ut homo, circa sacramenta. — Operari interiorem effectum sacramentorum, ut iam diximus, contingit dupliciter: uno

1. L. I, cap. XIX. — 2. De usu linguae latinae ad perficienda studia philosophica et theologica egimus ex professo in tractatu de STABILITATE ET PROGRESSU DOGMATIS, P. II, art. V, 2ª ed., pp. 174, seq. Sane, ad perversa modernistarum molimina spectat, inter alia, abolitio linguae latinae in scholis catholicis.

modo principaliter et per auctoritatem, alio modo ministerialiter. Et quidem Christus, secundum quod est Deus, operatur effectum sacramentorum principaliter: in sacramentis enim, secundum Patrum effata [1], divina virtus secretius operatur effectum; virtus autem divina est Christi secundum quod est Deus [2], qui etiam, ut Deus est, sacramenta instituit [3], et potestatem habet in terra dimittendi peccata [4]: quae quidem propria sunt eius qui interiorem effectum sacramentorum principaliter operatur. — Secundum autem quod est homo, operatur Christus ad interiores effectus sacramentorum tum meritorie, tum efficienter, sed instrumentaliter, quia eius passio, quae ei competit secundum humanam naturam, causa est nostrae iustificationis, et meritorie et effective, non quidem per modum principalis agentis sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti seu ministerialiter, in quantum humanitas est instrumentum eius divinitatis.

2. — **Ratio praesentis quaesiti.** — Quae cum ita constiterint, cum etiam alii ministri operentur interiorem effectum sacramentorum ministerialiter, praesentis articuli intentio est, ut quaeratur utrum et in quo Christus aliis ministris praecellat in producendo hunc effectum. Scilicet, in Christo solo humanitas est hypostatice coniuncta cum divinitate; ipse etiam solus suum pretiosissimum Sanguinem fudit pro salute totius mundi: quae quidem duo specialem ipsi titulum excellentiae conferunt circa sacramenta.

1. S. August., Tract. LXXX sup. Io.; L. III contra Donatist., c. 10; S. Isidor., l. VI Etymol., c. 18. — 2. *Sed contra*. — 3. Ad 3m. — 4. Cf. hic, ad 2m. Advertendum est locum hunc: *Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* (Matth., IX, 6; cf. Marc., II, 10), esse intelligendum de Christo ut Deus est: vult enim Dominus Noster, per exercitium huius potestatis, quam sibi competere ostendit, adducto miraculo de paralytico curato, demonstrare se esse verum Deum.

3. — PROP. — **Christo homini competit circa sacramenta potestas ministerii principalis, seu potestas excellentiae.**

4. — **Auctoritas Sacrae Scripturae.** — Haec veritas non obscure consignata reperitur in Sacra Scriptura. Sic legimus [1]: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete* (μαθητεύσατε, id est, *discipulos facite*) *omnes gentes, baptizantes*, etc. Quibus verbis manifeste patet, quam ampla sit et excellens potestas Christo collata, cum nullo claudatur confinio: nam *per caelum et terram*, ait Dionysius Cartusianus [2], *tanquam per duo extrema, intelliguntur et omnia intermedia.* Et quidem, quamvis hoc de Christo secundum divinam naturam, qua aequalis est Patri, intelligi queat, specialiter tamen de visibili humanitate dictum videtur, cui Pater contulit principatum imperialemque virtutem inde a primo momento Incarnationis, ut scilicet Christus hac potestate pedetentim uteretur, secundum moderamen dispensationis divinae, primo egrediendo supernaturaliter de utero matris suae, et postea splendidis miraculis suam confirmando missionem.

5. — **Confirmatur.** — Legitur apud S. Ioannem [3]: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Atqui baptizare in Spiritu Sancto est interius gratiam Spiritus Sancti conferre; Spiritus Sanctus autem descendit super Christum in quantum homo, non in quantum Deus, quia sic ipse dat Spiritum Sanctum. Ergo Christus, secundum quod homo, habuit potestatem excellentiae circa sacramenta [4].

6. — **Prob. ratione theol.** — Illud quod est instrumentum coniunctum divinitati in persona, habet quam-

1. Matth., XXVIII, 18, 19. — 2. Enarrat. in h. l. S. Matthaei. — 3 C. I, 33. — 4. Ad 1m.

dam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, quales sunt ministri Ecclesiae. Atqui Christus, ut homo, est instrumentum coniunctum divinitati in persona. Habet ergo, prae caeteris Ecclesiae ministris, quamdam principalitatem circa sacramenta; seu iure gaudet potestate ministerii principalis, aut potestate excellentiae.

7. — **In quonam consistit haec potestas excellentiae Christi Domini circa sacramenta.** — Haec autem potestas excellentiae, qua Christus operatur ad interiores sacramentorum effectus, consistit in hisce quatuor. — *Primo,* in hoc quod meritum et virtus passionis eius operatur in sacramentis. *Secundo,* in hoc quod in eius nomine sacramenta sanctificantur, seu celebrantur per invocationem nominis eius, et ipsius vice ac auctoritate; et hoc quia virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem, secundum illud [1]: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius;* quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur. *Tertio,* in hoc quod ipsemet Christus instituit sacramenta; et hoc quia ex Christi institutione virtutem obtinent; unde et legimus [2]: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis* [3]. *Quarto,* in hoc quod Christus potest sine exteriori sacramento effectum sacramentorum conferre; et hoc quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso: unde quia Christus est sacramentorum causa, ideo potest absque exterioribus sacramentis conferre effectum qui per sacramenta confertur, ut patet in Magdalena, cui dixit [4]: *Remittuntur tibi peccata* [5].

8. — **Verba S. Pauli.** — Quae cum ita sint, ministrorum potestas, in administratione sacramentorum, omnino

1. Rom., III, 25. — 2. 1 Cor., I, 13. — 3. Ad 5m. — 4. Luc., VII, 48. — 5. Ad 4m.

pendet a potestate Christi, non solum ut Deus est, sed etiam ut homo est. Hanc dependentiam nervose omnino indicat Apostolus [1]: *Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli; alius autem: Ego Apollo; nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri eius, cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi* (idest, ut explicat Dionysius Cartusianus, primo fidei fundamenta annuntiavi et praedicando converti), *Apollo rigavit*, (vos in fonte baptismatis lavando); *sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus. Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adiutores: Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.*

ARTICULUS IV. — *Utrum Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare.*

1. — Potestas auctoritatis, quae Christo competit secundum quod Deus est, est incommunicabilis creaturae. — Cum duplicem in Christo potestatem in sacramentis iam distinxerimus [2], unam potestatem auctoritatis, quae ei competit secundum quod Deus est, aliam vero potestatem excellentiae, quae convenit ei secundum quod est homo, iam satis evidens esse debet, illam potestatem, quae quidem aliud non est nisi ipsa divina essentia, ita toti Trinitati esse communem, ut nulli creaturae possit participari: unde, sicut non potuit Christus communicare suis ministris ut crearent caelum et terram, ita a fortiori nec potuit eis communicare potestatem peccatores auctoritative iustificandi, et consequenter potestatem sacramenta per auctoritatem condendi, per quam completur

1. 1 Cor., III, 4. seqq. — 2. Art. praec.

iustificatio impii [1]. — Dicimus Christum a fortiori non potuisse ministris communicare potestatem homines auctoritative iustificandi, cum excellentius hoc sit opus prae creatione caeli et terrae, dicente S. Augustino [2]: *Prorsus maius hoc esse dixerim*, (scilicet ex impio iustum fieri), *quam est caelum et terram, et quaecumque cernuntur in caelo et in terra.* — Hoc posito, tota dubitatio respicit potestatem excellentiae quam Christus, ut homo, habet in sacramentis. Pro quo sit

2. — PROP. — **Potuisset Christus, si voluisset, potestatem excellentiae, quam habet in sacramentis, ministris communicare.**

3. — **Auctoritas.** — Imprimis, potest haec propositio erui ex verbis S. Augustini, qui commentans illud dictum Ioannis Baptistae [3]: *Ego nesciebam eum*, ait [4] quod Ioannes non noverat potestatem baptismi ipsum Dominum habiturum et sibi retenturum. Atqui hoc non ignorasset Ioannes, si talis potestas communicabilis non esset. Ergo potuit Christus suam potestatem ministris communicare [5]. Quocirca dicit Glossa [6] quod Christus *potuit eis dare auctoritatem baptizandi, quibus contulit ministerium* [7].

4. — **Ratio theol.** — Potestas excellentiae, quam Christus habet in sacramentis, in his quatuor consistit: scilicet in hoc quod eius meritum operatur ad effectum sacramentorum; quod per invocationem sui nominis sanctificantur sacramenta; quod potest instituere sacramenta; et demum quod eorum effectum conferre potest solo imperio, sine ritu sacramentali. Atqui potuit Christus ministris sacramentorum tantam conferre gratiae plenitudinem, ut haec quatuor eisdem communicaret: in-

1. Ad 2m. — 2. Tract. LXXII in Io., super illud Io., XIV, 12. *Maiora horum faciet*, t. III, P. II, col. 688. — 3. Io., I, 33. — 4. Tract. V in Io. Ibid., col. 323, nn. 7, 8. — 5. *Sed contra* — 6. Ord. super illud 1 Cor., I, 12: *Ego vero Cephae.* — 7. Ad 2m.

strumentum enim coniunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato potest tribuere, ut manus baculo. Ergo Christus potuit communicare ministris potestatem excellentiae quam in Sacramentis habebat.

5. — **Solvitur tacita difficultas.** — Contra id quod primo loco hic ponit S. Thomas, videlicet quod potuisset Christus dare ministris sacramentorum ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, opponi potest id quod in tractatu DE GRATIA docetur, nempe nullum hominem, praeter Christum, posse alteri mereri de condigno primam gratiam. Atqui idem est mereri primam gratiam, et mereri medium ad illam habendam, quod est per sacramenta [1].

Cui respondetur, id quod dicitur, non posse purum hominem de condigno alteri mereri primam gratiam, accipiendum esse attento praesenti rerum ordine, in quo Christus a Deo constitutus est omnium hominum redemptor et unicum Ecclesiae caput. At hoc non tollit quin, in alio ordine, potuisset Deus ad purum hominem vim transferre primam gratiam aliis ex condigno merendi, cum meritum de condigno attendatur secundum rationem divinae motionis: quo casu, hominem illum Deus ita movisset, ut propriis meritis non solum suam, sed etiam aliorum salutem mereretur. Attamen, meritum huiusmodi non fuisset ex toto rigore iustitiae, quod solum in homine, qui hypostatice sit Deus, haberi potest.

6. — **Quaestio.** — *Quare noluit Christus Dominus potestatem excellentiae in sacramentis communicare ministris?*

Resp. Imprimis excludi omnino debet quod Christus potestatem excellentiae, quam habet in Sacramentis, mi-

1. Tr. DE GRATIA, Quaest. CXIV, art. 6, n. 3.

nistris communicare noluerit ex invidia, cum vitium huiusmodi longe fuerit a Domino nostro, in quo summa fuit plenitudo caritatis : unde hic locum non habet illud S. Augustini, scilicet, si potuit, et non voluit, invidus fuit [1]. — Sed, primo, id fecit propter fidelium utilitatem, ne videlicet in homine spem ponerent; secundo, ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur, sicut apud illos qui dicebant [2] : *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae* [3] ; tertio, ad inconveniens evitandum, ne multa capita in Ecclesia essent [4].

7. — **Scholion.** — Circa ultimam hanc rationem, advertendum est quod repugnat esse in Ecclesia plura capita ex aequo : hoc enim monstruosum est, uni corpori plura aptari capita ; non tamen repugnat esse plura capita subordinate, ita ut unum sit principale, alia vero secundaria ; et quidem hoc pacto sustineri potest enunciata veritas, quod Christus, si voluisset, potestatem suam excellentiae in sacramentis communicasset ministris : quo casu, hi quidem fuissent capita secundaria ; ipse vero mansisset caput principale, *de* cuius *plenitudine omnes nos accepimus,* ut ait S. Ioannes [5].

Articulus V. — *Utrum per malos ministros sacramenta conferri possint.*

1. — **Necessitas ministri ad sacramentorum confectionem.** — Acturi modo de qualitate morali in ministris secundariis sacramentorum requisita, primo loco statuere debemus catholicam veritatem de necessitate ministri ad sacramentorum perfectionem. Quae necessitas ita proclamatur in Concilio Florentino [6] : *Haec omnia sacra-*

1. L. II contra Maximin. Arian., c. VII, t. VIII, col. 695. — 2. 1 Cor., I, 12. — 3. Ad 1m. — 4. Ad 3m. — 5. I, 16. Cf. hic, ad 3m. — 6. Decret. pro Arm. Denz.-B., n. 695.

menta tribus perficiuntur: videlicet, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum. Re quidem vera, nec verba possunt proferri, nec res inanimatae applicari, nisi adsit minister qui illas proferat, has vero applicet.

2. — **Determinatus minister pro singulis sacramentis.** — Sed ulterius notandum est, non quemlibet hominem esse omnium sacramentorum ministrum, ut voluit Lutherus, qui omnes posuit aeque verbum praedicare et sacramenta administrare posse. Re quidem vera, non omnibus dictum est: [1] *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc; praeterea, Sanctus Paulus saepius testatus est diversa esse membra in Ecclesia [2], quae quidem *omnia... non eumdem actum habent* [3], unde agnoscit hierarchiam divinitus institutam [4]; qui etiam expresse de sacerdotio dicit [5]: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* — Quapropter in Concilio Tridentino sancitum est [6]: *Si quis dixerit, christianos omnes, in verbo et omnibus sacramentis administrandis, habere potestatem, A. S.* [7]. Quocirca, hoc semper in traditione retentum est, scilicet servari distinctionem laicorum a ministris [8], et inter ipsos ministros hierarchiam existere, ita ut quaedam sacramenta a solis ministris superioribus administrarentur.

Quisnam vero sit proprius et ordinarius singulorum sacramentorum minister, suo respective loco tradetur.

3. — **Ratio articuli.** — Quae cum ita sint, modo quaeritur utrum per malum ministrum, non solum sacramentum, sed etiam effectus sacramenti valide, quidquid sit

1. Matt., XXVIII, 19. — 2. 1 Cor., XII, 20. — 3. Rom., XII, 4. — 4. Eph., IV, 11, 12. — 5. Hebr., V, 4. — 6. Sess. VII, can. 10. — 7. Cf. Sess. XIV, cap. 16. — 8. Quod aliqui opponunt ex verbis S. Petri (1 Ep., II, 9); *Vos... genus electum, regale sacerdotium,* ad rem non facit, cum ibi non agatur nisi de sacerdotio spirituali et improprie dicto.

de liceitate, de qua articulo sequenti, conferatur. — Per malum ministrum autem hic proprie intelligitur minister gratia et caritate carens, sive hoc sit occultum, sive patens : non autem intelligitur minister fide aut recta intentione carens : nam quid de eo cui fides aut recta intentio desit, decernendum sit, inferius declarabitur [1]. Praeterea quaestio proponitur attenta positiva Dei institutione, cum dubium non sit quin Deus potuerit uno vel altero modo sacramenta instituere.

4. — Errores. — Donatistae, saeculo quarto, cum agnoscere nollent consecrationem Caeciliani, episcopi carthaginensis, factam a Felice Aptungnensi, quem improbum imo traditorem arbitrabantur, dogmatizare coeperunt a malis ministris sacramenta pollui, eorumque effectum praepediri ; ita ut quidquid ab eis, praesertim haereticis, attentetur, tanquam nihil actum sit, iterari debeat. Hunc errorem renovarunt saeculo duodecimo Waldenses, et paulo post Wicleffitae et Hussitae, dictitantes nullum malum ministrum posse valide sacramenta conferre.

5. — PROP. — Ministri Ecclesiae possunt sacramenta valide conferre, etiamsi sint mali, et quidem sive sint occulte, sive notorie mali.

6. — Auctoritas Conciliorum et Sacrae Scripturae. — Imprimis propositio enunciata ita *de fide* suscipienda definita est in Concilio Tridentino [2] : *Si quis dixerit ministrum, in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum, A. S.* Pariter legitur [3] : *Docet quoque* (Synodus), *etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione*

1. Art. 8-10. — 2. Sess. VII, can. 12. — 3. Sess. XIV, cap. 6

collatam, tamquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere, eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. — Sed iam antea Innocentius III docuerat [1]: *Sacramenta..., licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus.* Pariter, in Concilio Constantiensi (1414-1418), in sessione octava, damnatus fuerat sequens articulus Wicleffi [2]: *Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.* Quam condemnationem ratam habuit Martinus V.

Huc spectat quod legitur [3]: *Hic est qui baptizat;* et iterum [4]: *Deus est qui iustificat;* rursusque [5]: *Quid est Apollo, quid vero Paulus;* quasi dicatur sacramenta proprie valere in nomine, seu virtute Christi, quicumque ille sit qui ea confert.

7. — Ecclesiae traditio. — Sed iuvat gravem hanc veritatem in Patribus Ecclesiae relegere. S. Ioannes Chrysostomus ait [6]: *Licet* (sacerdotum) *vita sit infamata, tu, si attendas, nihil damni accipies in iis, quae illis a Deo commissa sunt. Si enim per asinam vocem emitti curavit, et per vatem benedictiones spirituales largitus est; si bruti ore, et impura Balaami lingua propter improbos Iudaeos operatus est, multo magis propter vos bene moratos, etiamsi sacerdotes admodum scelesti sint, sua omnia perficiet, et mittet Spiritum Sanctum: neque enim pura mens propter propriam puritatem Spiritum attrahit; sed gratia omnia operatur:* OMNIA ENIM, *inquit,* PROPTER VOS, SIVE PAULUS, SIVE APOLLO, SIVE CEPHAS.

Praeclara quoque sunt quae habet S. Augustinus [7]:

1. In Prof. fidei Waldensibus praescripta. Denz. B., 424. — 2. Est 4us Denz.-B., n. 584. — 3. Io., I, 33. — 4. Rom., VIII, 33. — 5. 1 Cor., III, 4. — 6. In Io., Homil. LXXXVI, al. LXXXV, c. 20. Paris, 1844, t. X, p. 390. — 7. Trac. V in Io., super illud S. Ioannis, I, 33: *Super quem videris Spiritum,* etc., n. 11, t. III, P. II, col. 325.

Quid non noverat (Ioannes)? *Potestatem dominici baptismi in nullum hominem a Domino transituram, sed ministerium plane transiturum: potestatem a Domino in neminem, et ministerium in bonos et malos:... quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus?* Et iterum [1]: *Quos baptizavit Iudas, Christus baptizavit; sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam; quia columbam attendo, per quam mihi dicitur:* HIC EST QUI BAPTIZAT. Pariter [2]: *Dedit baptismum Iudas, et non baptizatum est post Iudam: dedit Ioannes et baptizatum est post Ioannem; quia si datum est a Iuda, baptisma Christi erat: quod autem a Ioanne datum est, Ioannis erat. Non Iudam Ioanni, sed baptismum Christi etiam per Iudae manus datum, baptismo Ioannis, etiam per manus Ioannis dato, recte praeponimus.*

Denique, haud dissimiliter S. Bernardus haereticos reputat eos qui dicebant: *Peccatores sunt apostolici, archiepiscopi, episcopi, presbyteri, ac per hoc nec dandis nec recipiendis idonei sacramentis* [3].

8. — **Prob. rat. theol.** — Cum eadem quodammodo sit ratio ministri et instrumenti, hinc ministri Ecclesiae instrumentaliter operantur in sacramentis. Atqui ad effectum non refert bonitas vel deformitas instrumenti, dummodo ei non desit id quod ad rationem instrumenti pertinet. Ergo ministri Ecclesiae, etiamsi sint mali, possunt valide conferre sacramenta.

9. — **Explicatur.** — Revera, instrumentum non agit secundum propriam formam aut virtutem, sed secundum virtutem illius a quo movetur; quapropter, accidit instrumento, in quantum est instrumentum, utrum unam vel

1. Ibid., n. 18. — 2. Ibid. — 3. Serm. LXVI in Cantic.

alteram formam aut virtutem habeat, dummodo id habeat quod exigitur ad rationem instrumenti. Sic, quod corpus medici, quod est instrumentum animae habentis artem, sit sanum vel infirmum, aut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea, quod agricola sit bonus vel improbus, quod sigillum sit aureum vel ferreum, nihil refert. Ita igitur virtus sacramenti eadem est, sive per bonos, sive per malos ministros conferatur, modo non praetermittantur ea quae ad effectus producendos, ex parte causae instrumentalis, sunt necessaria [1].

10. — **Scholion.** — Porro, notandum est non solum sacramentum, sed etiam effectum sacramenti aequaliter conferri per malum ac per bonum ministrum; unde non melior est baptismus qui per meliorem datus est, ut argumentatur S. Augustinus [2]; et proinde spes non est ponenda in homine. — Hoc tamen non impedit quominus minister ex sua devotione aliquid impetrare possit suscipienti, verbi gratia, bonum motum aut remotionem insidiarum diaboli, quemadmodum etiam iustorum orationes aliis prosunt; sed ipse effectus sacramenti non impetratur oratione ministri, sed ex opere operato, cui accedit oratio Ecclesiae.

11. — **Confirmatur.** — I. Potest quis operari per instrumentum carens vita et a se separatum quantum ad corporis unionem, dummodo sit coniunctum per quamdam motionem, sicut aliter operatur artifex per manum et aliter per securim. Atqui aliqui sunt qui per caritatem Christo capiti, tanquam membra, uniuntur, secundum illud [3]: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo;* alii autem, caritate carentes, sunt sicut membra mortua, secundum illud [4]: *Qui non diligit, manet in morte,* et Christo capiti vix aut ne vix quidem coniunguntur. Ergo, per

1. Vide alias rationes in l. IV contra Gentes, c. 77. — 2. L. III contra Crescon., c. 6, t. IX, col. 438. — 3. 1 Io., IV, 16. — 4. 1 Io., III, 14.

primos, Christus in sacramentis operatur tanquam per membra viventia; per alios autem, tanquam per instrumenta carentia vita [1]. Sane, actio ad extra, advertit Angelicus [2], *bene potest fieri per membrum aridum, sicut percutere, quod etiam omnino re inanimata fit, ut baculo; et huic proportionaliter respondet ministratio sacramentorum.*

II. Huc quoque facit quod legitur [3]: *Ab immundo quid mundabitur, et a mendace quid verum dicetur?* Scilicet, sicut qui mendax est, ut talis, nequit verum proferre, cum locutio sit ab eo tanquam a causa principali, ita ab immundo, ut talis est operans principaliter, nequit aliquid mundari [4].

12. — **Solvitur tacita obiectio.** — Quod autem S. Augustinus, de malis ministris loquens, dicit [5] quod *remissam peccatorum non dabant,* intelligi potest hoc sensu, quod recipientes sacramenta, hoc ipso quod malitiae ministrantium consentirent, effectui sacramenti obicem ponebant.

Quae quidem distinctio, inter sacramentum et effectum sacramenti, ut videtur, non satis observata est in percelebri controversia inter S. Stephanum et S. Cyprianum. Caeterum, quae in epistolis huius Patris divinarum Scripturarum auctoritati congruunt, cum laude eius suscipimus; quae autem inveniuntur a Scripturis vel traditione discrepantia, servata reverentia tanto viro debita, respuimus.

13. — **Difficultas.** — Aliquis non potest dare id quod non habet. Atqui mali ministri non habent munditiam a

1. Ad 2m. — 2. 4, Dist. V, Quaest. II, art. 2, quaest. V, ad 2m. — 3. Eccli., XXXIV, 4. — 4. De hoc loco Eccli., ibid., 30: *Qui baptizatur a mortuo,* etc., quo abutebantur Donatistae, vide S. August., l. II contra Crescon., c. 27. t. IX, col. 426. Vide etiam S. Gregor. Magn., l. IX Epist. 39, ubi dicit hoc loco significari quod nihil prodest alicui, si abluitur a peccato et iterum illud commiserit. — 5. L. III de Baptismo, c. 18, t. IX, col. 118.

peccato nec gratiam sanctificantem, quae sunt effectus sacramentorum. Ego mali ministri nequeunt effectum sacramentorum conferre.

Resp. *Dist. mai.:* operando tanquam causa principalis, *conc.;* tanquam causa instrumentalis, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Ministri Ecclesiae neque a peccatis mundant homines ad sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt propria virtute, sed hoc Christus sua potestate per eos, sicut per quaedam instrumenta, praestat; ideoque effectus in suscipientibus sacramenta obtinetur, non quidem secundum similitudinem ministrorum; sed secundum configurationem ad Christum, qui est sacramentorum auctor [1].

14. — **Corollarium.** — Ex dictis constat quod, si quidem agatur de validitate aut necessitate sacramentorum, *debita* forma et *debita* materia requiruntur; si autem de liceitate, ob quamdam decentiam, requiritur etiam *debitus* minister, talis scilicet qui careat macula peccati, secundum illud [2]: *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si caecus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso,* etc. [3].

ARTICULUS VI. — *Utrum mali ministrantes sacramenta peccent.*

1. — **Ratio articuli.** — Statuto quod mali ministri sacramenta valide conficere possunt, nunc de liceitate agitur, ubi sub hoc nomine, *ministrantes,* duo intelliguntur, scilicet conficientes et dispensantes. Mali autem dicuntur, qui culpa mortali coinquinati, divina gratia privati existunt.

1. Ad 1m. — 2. Levit., XXI, 17, 18. — 3. Ad 3m. Huius loci moralem explicationem require apud S. THOM., 1 2ae, Quaest. C II, art. 5, ad 10m.

2. — PROP. — Peccatores sacramenta ministrantes peccant peccato sacrilegii, quod ex genere suo mortale est.

3. — Prob. auctoritate Sacrae Scripturae et ratione theol. — In Sacra Scriptura saepe legitur, sacrorum ministros debere se conformare Domino cui famulantur. Atqui Deus, sacramentorum auctor, sanctus est, et pariter Ecclesia in sacramentis fundata, sancta est. Ergo sacramenta ministrantes in peccato graviter peccant: Hinc est quod legimus [1]: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester;* pariter [2]: *Secundum iudicem populi, sic et ministri eius:* iterum [3]: *Mundamini qui fertis vasa Domini.*

4. — Confirmatur. — Similiter, ministri debent conformari ipsismet sacramentis quae perficiunt, quae sunt res sacrae. Quocirca, si in ministris sacramentorum legalium, quae imperfecta erant, requirebatur munditia legalis, quanto magis in ministris sacramentorum novae Legis, quae perfecta sunt, et ad veram animi munditiam ordinantur, interna sanctitas requiritur. Unde non dubitat S. Thomas asserere [4]: *Hoc est de iure naturali, ut homo sancta sancte pertractet.* Ergo dubium non est, quin mali, exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum, graviter peccent. Et huc facere possunt verba S. Pauli [5]: *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione... moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et Sanguinem Testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiae contumeliam fecerit!*

1. Levitic., XIX, 2, — 2. Eccli., X, 2. — 3. Is., LII, 11. — 4. 4, Dist. XXIV, Quaest. I, art. 3, Quaestiuno. V, ad 2m. — 5. Hebr. X, 28, 29.

5. — Ecclesiae traditio. — Quocirca legimus in libro *de Ecclesiastica Hierarchia* [1], quod *malis non est fas nec tangere symbola*, id est sacramentalia *signa;* pariter, in Epistola *ad Demophilum* legitur [2]: *Talis* (scilicet peccator) *audax videtur, sacerdotalibus manum apponens, et non timet neque verecundatur divina praeter divinitatem exequens, et Deum putans ignorare, quae ipse in semetipso cognovit; et decipere existimat falso nomine patrem ab ipso appellatum, et audet immundas infamias, non dicam orationes, super divina signa christiformiter enunciare.*

Nec silendus S. Augustinus qui ait [3]: *Videant qualem rationem habituri sunt cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur.* Et rursus [4]: *Et ego dico, et omnes dicimus, quia iustos oportet esse tanti iudicis ministros.* Demum [5]: *Omnia sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.*

6. — Quanam peccati specie indigne ministrantes peccent. — Porro, quia indigna sacramenti administratio pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum, licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint, hinc tale peccatum est verum sacrilegium, seu indigna et sacrilega sacramentorum tractatio et est ex genere suo mortale. — Dicimus *ex genere suo;* quia per accidens fieri potest ut veniale evadat, aut etiam ut omne absit peccatum, stante, verbi gratia, invincibili ignorantia, aut inculpabili inadvertentia [6].

7. — Iuris canonici praescriptiones. — Ecclesiae disciplinam compendio expressam exhibent sequentes Iuris canonici canones [7]: *Cum omnia Sacramenta novae Legis, a Christo Domino Nostro instituta, sint praeci-*

1. C. 1. — 2. Haec est 8ª — 3. Enarrat. in Ps. CIII, Serm. I, n. 9, t. IV, col. 1136. — 4. Tr. V in Io., n. 15, t. III, P. II, col. 327. — 5. L. II C. Epist. Parm., c. 10, t. IX, col. 39. — 6. 3. Scil. can. 731, § I, et can. 733, § 1, 2. — 7. Cf. ad 3m.

pua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est. — In Sacramentis conficiendis, administrandis ac suscipiendis accurate servantur ritus et caeremoniae quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur. — Unusquisque autem ritum suum sequatur.

8. — Differentia inter sacramenta et opera caritatis — Quo melius intelligatur quomodo ministrans sacramenta in mortali peccet, necesse est comparare sacramenta cum operibus caritatis: nam ista et illa habent aliquid quo conveniunt et aliquid quo discrepant.

Nimirum, sacramenta in hoc cum operibus caritatis conveniunt, quod per utraque Deo servitur et meritum apud Deum comparatur, secundum illud [1]: *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Porro, mali, ut diximus, peccant, sacramenta ministrantes in peccato; non peccant vero, si ministrent Deo in operibus caritatis; quinimmo hoc eis est consulendum, iuxta illud [2]: *Consilium meum tibi placeat: peccata tua eleemosynis redime.*

Huius autem differentiae ratio est, quia caritatis opera non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed pertinent ad iustitiae sanctitatem, sicut quaedam iustitiae partes; ideoque homo, qui se exhibet Deo ministrum in operibus caritatis, si quidem sit iustus, sanctificatur amplius; si autem sit peccator, per hoc disponitur ad sanctitatem. At sacramenta in seipsis sanctificationem quamdam habent per mysticam consecrationem, et ideo praeexigitur in ministro sanctitas iustitiae, ut congruat suo ministerio. Quapropter minister incongrue agit et peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accesserit [3].

9. — Quaestio I. — *Utrum liceat a malis ministris sacramenta recipere?*

1. Hebr., XIII, 16. — 2. Dan., IV, 24. — 3. Ad 1m.

Resp. Si minister sit ab Ecclesia toleratus, licitum erit ab eo sacramentum suscipere; quia suscipiens non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiae, quae eum tanquam ministrum exhibet. Revera, ille qui ad sacramentum accedit, suscipit sacramenta a ministro Ecclesiae, non in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesiae.

Si vero minister non sit ab Ecclesia toleratus, puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur, tunc peccat qui ab eo sacramentum accipit, quia communicat peccato ipsius; unde scriptum est[1]: *Digni sunt morte... non solum qui* (peccata) *faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*[2]. Censentur autem omnes illi ab Ecclesia non tolerari, qui publice, specialiter et expresse sunt ab ea denunciati.

10. — **Quaestio II.** — *Quid praestandum sit ministro qui, in peccato mortali existens, sacramenta dispensare debet?*

Resp. Dolere debet de peccato, et tunc sacramenta licite potest ministrare, nisi agatur de missa celebranda, quia tunc, ex dispositione Ecclesiae, debet etiam confiteri, nisi, urgente necessitate, copia confessarii desit[3]. Ceterum, prae oculis tenenda est regula in Rituali romano lata[4]: (Sacerdos) *illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat; nam etsi sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris eorum effectus impediri; impure tamen et indigne ea ministrantes, in aeternae mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius, quod absit, ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat; sed si ha-*

1. Rom., I, 32. — 2. Ad 2m. — 3. Cf. hic, ad 3m. — 4. Titulus I, Cap. unic.

beat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri[1].

11. — **Quaestio III.** — *Utrum haereticis vel schismaticis liceat sacramenta Ecclesiae administrare?*

Resp. Negative: quin enim id fiat expresse cavetur in Iure[2]: *Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint:* qui enim rectam fidem non habent, aut ab unitate Ecclesiae sunt separati, de illius bonis frui nimine permittuntur. — Quod vero ad sacramentalia attinet, certe haud recte se gereret, qui acatholicis hominibus ea passim sine delectu distribueret, ut inde illi protectionem contra mala physica obtinerent aut indulgentias eisdem adnexas perciperent: possunt tamen eisdem dari tum ut recta in eis fides facilius excitetur, et motus amoris et fiduciae in Deum in eorum cordibus confoveatur.

Articulus VII. — *Utrum angeli possint sacramenta ministrare.*

1. — **Scoti hac in re sententia.** — Cum iam superius[3] determinatum fuerit, non quemlibet hominem, etiam christianum, esse cuiuslibet sacramenti ministrum, modo praesens proponitur dubitatio, ut sciatur utrum angelis quoque de lege Dei ordinaria, convenire possit munus sacramenta administrandi: quod quidem concedendum sensit Scotus, hac ductus ratione, quod cum sacramenta constent ex rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma, angeli autem possint verba pronuntiare super materiam a se

1. Haec ultima verba, ut patet, de consilio sunt, si unam excipias Missae celebrationem, ut dictum est. Cetera quae spectant ad dispositiones ministrorum in administratione sacramentorum, particulatim traduntur a tractoribus rei moralis. — 2. Can. 731, § 2. — 3. Art. 5, n. 1, p. 217.

exhibitam, hinc videtur ad eos quoque potestatem posse pertinere sacramenta ministrandi, vel omnia, vel ea saltem, quae in ministro specialem non supponunt consecrationem: ex quo sequeretur baptismum, puta, a daemone administratum, qualiter forsan in conventibus spiritisticis aliquando evenit, esse ratihabendum. — Contra quod sit

2. — PROP. I. — **De lege Dei ordinaria, ad solos homines, non ad angelos, pertinet sacramenta dispensare.**

3. Auctoritates. — Imprimis, potest haec veritas erui ex illis S. Pauli verbis [1]: *Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum.* Atqui angeli boni vel mali non sunt ex hominibus. Ergo ipsi non constituuntur ministri in his quae sunt ad Deum, id est in sacramentis [2]. — Ubi argumentum habetur a fortiori: si enim pontificatus, qui verticem ecclesiasticae hierarchiae tenet, hominibus reservatur, multo magis minora ministeria eisdem, exclusis angelis, competunt. — *Confirmatur* ex omnibus iis Scripturae locis, in quibus Christus Dominus perhibetur solos homines ad sacramentalia munia exequenda destinasse.

Veritatem hanc egregie, more suo, S. Ioannes Chrysostomus exponit [3]: *Qui terram incolunt, in eaque commorantur, ad ea quae in caelis sunt dispensanda, commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque angelis, neque archangelis dedit Deus.*

4. — Prob. rat. theol. — Tota sacramentorum virtus a passione Christi derivatur, quae quidem est Christi in quantum homo. Atqui Christo patienti conformantur in natura homines et non angeli; cum potius secundum passionem dicatur Christus *modico quam angeli minoratus* [4].

1. Hebr., V, 1. — 2. *Sed contra.* — 3. De Sacerdotio, l. III, n. 5. — 4. Hebr., II, 9.

Ergo ad homines, et non ad angelos, pertinet in sacramentis ministrare.

5. — Solvuntur difficultates. — I. Quidquid potest minister inferior, potest et superior: sic, quidquid potest diaconus, potest et sacerdos. Atqui angeli sunt, in ordine hierarchico, superiores ministri quam quicumque homines. Ergo angeli possunt de lege ordinaria in sacramentis ministrare.

Resp. *Dist. mai.*: eodem modo, *nego;* modo conveniente suae naturae et conditioni, *conc. Dist. min.*: ita ut altiori modo operentur angeli quam homines, *conc.*; ita ut eodem modo operentur, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Illud quod facit minister inferior, potest quidem et superior facere, at modo altiori, atque suae naturae et conditioni conveniente. Illud igitur quod homines inferiori modo faciunt, scilicet per sensibilia sacramenta quae sunt proportionata naturae ipsorum, faciunt angeli tanquam superiores ministri, at modo superiori, nempe invisibiliter purgando, illuminando et perficiendo [1].

II. Homines sancti assimilantur angelis in caelo [2]. Atqui aliqui Sancti in caelo existentes possent ministrare in sacramentis, maxime cum character sacramentalis, quo insigniti sunt, sit indelebilis. Ergo etiam angeli possunt in sacramentis ministrare.

Resp. *Dist. mai.*: quantum ad participationem gloriae, *conc.*; quantum ad conditionem naturae, *nego. Dist. min.*: extraordinarie, Deo ita iubente, *conc.*; communiter, sicut homines viatores, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Sancti, qui sunt in caelo, similes sunt angelis quantum ad participationem gloriae, non autem quantum ad conditionem naturae et per consequens neque quantum ad sacramentorum administrationem [3]. — Ubi notandum, sanctos homines, in caelo regnantes, etsi aliquo sacramentali cha-

1. Ad 1m. — 2. Cf. Matth., XXII, 30. — 3. Ad 2m.

ractere insigniti sint, et sic habeant potestatem in charactere positam, tamen de lege Dei ordinaria, usum non habere illius potestatis, cum sacramenta et sint propter homines viatores, et ab hominibus viatoribus administrentur; licet interdum potuerit Deus ordinare ut sua potestate illi uterentur.

6. — PROP. II. — **Potest Deus etiam angelis tribuere virtutem ministrandi in sacramentis.**

7. — **Prob.** — Quemadmodum Deus non ita alligavit virtutem suam sacramentis, quin etiam possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre; ita etiam virtutem suam non ita alligavit Ecclesiae ministris, quin possit etiam angelis, per actum transeuntem, virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Sic de S. Stanislao Koska legitur quod cum in lethalem morbum incidisset, et in haeretica domo decumbens sacrum viaticum frustra ab hominibus petiisset, illud ab angelis sibi subministratum accepit.

8. — **Distinctio inter angelos bonos et malos.** — Debet autem hic distinctio inter angelos bonos et malos sedulo attendi. Nam, quia angeli boni sunt nuncii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis angelis perficeretur, pro rato esset habendum, cum constare deberet hoc fieri voluntate divina: quo modo dicuntur quaedam templa angelico ministerio consecrata, ut templum S. Michaelis Archangeli in monte Gargano [1]. Hoc modo etiam narrat Nicephorus Callistus [2], S. Amphilochium, Iconii episcopum, ab angelis fuisse consecratum, quam consecrationem ceteri episcopi ratam habuerunt. — At vero, si daemones aliquod tale ministerium sacramentale exhiberent, non esset ratum habendum, cum ipsi sint spiritus mendaces.

1. Fest. 8 Maii. — 2. L. VI, c. 20.

9. — **Solvitur difficultas.** — Contra id quod ultimo loco dictum est, daemones minime adhiberi ad sacramentorum administrationem, obiici posset quod diabolus caput malorum est, et mali homines sunt membra eius. Atqui per malos homines possunt ministrari sacramenta. Ergo etiam per daemones sacramenta possunt ministrari.

Resp. *Dist. mai.:* ita ut in homines diabolus quodammodo influat malitiam, *conc.;* ita ut influat potestatem ministrandi sacramenta, *nego. Dist. min.:* et haec potestas est hominibus malis a diabolo, *nego;* a Christo, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Etsi mali homines sint membra diaboli, virtutem tamen ministrandi in sacramentis non habent ex hoc quod sunt membra diaboli, quia secus oporteret illos hanc virtutem derivare ex malitia quam ipsis influit diabolus. Quae cum ita sint, minime sequitur diabolum posse ministrare in sacramentis [1], etsi absolute loquendo id fieri posset: at non convenit ut talibus coinquinatis instrumentis utatur Deus, qui est fons totius sanctitatis.

10. — **Scholion.** — Ad huius veritatis uberiorem intelligentiam, considerandum est quod si quidem ad sacramentum habendum, sufficeret exhibitio materiae simul cum prolatione verborum, utique dici deberet, etiam a daemonibus aliquod saltem sacramentum, puta baptismum, posse valide ministrari: at cum divina sapientia effectum sacramentorum, de lege ordinaria, alligaverit huic modo ponendi materiam et formam, scilicet per hominum ministerium, ideo dicendum est sacramentum frustrari, nisi hanc virtutem Deus aliunde suppleat: atqui censendus est supplere in casu bonorum angelorum, qui ipso iubente operantur, non autem in casu daemonum, qui id, Deo tantum permittente, et sic ex propria auctoritate facerent: unde etiam sequitur operationem qui-

1. Ad 3[m].

dem angelorum bonorum, in hoc respectu, ad miraculi rationem pertinere, minime autem operationem daemonum.

ARTICULUS VIII. — *Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.*

1. — Ratio quaestionis. — Statuto quisnam, ex institutione Christi, sit ordinarius minister sacramentorum, accedendum iam est ad investigandas generaliter conditiones, quae ex parte illius requiruntur: quae quidem duplici ordine fingi possunt: scilicet, una est ex parte voluntatis, nempe intentio, et altera ex parte intellectus, nempe fides: porro, de priori, in praesenti, de altera vero, in subsequenti articulo, agetur. Hic autem determinari debebit, tum an intentio quaedam requiratur, tum qualis esse debeat, sive relate ad ipsos ritus sacramentales, sive relate ad voluntatis dispositionem.

2. — Errores. — Porro, quod ad primum attinet, sciendum est Lutherum et Calvinum negasse necessitatem cuiuscumque intentionis in ministro sacramentum conficiente; unde asserere non dubitarunt, aeque valere ritus sacramentales ab histrione aut amente perfectos, ac qui ab homine mentis compote complentur. Quae positio fluit, tanquam naturalis sequela, ex principio ab istis novatoribus posito, videlicet sacramenta novae Legis esse tantum signa theoretica, nec verbis, quibus minister utitur aliud inesse, nisi vim quamdam fidei excitativam, quomodo id praestant verba concionatoria.

3. — PROP. I. — Intentio ministri necessaria est ut sacramentum subsistat.

4. — Auctoritas. — Haec propositio, quae est *de fide* tenenda, expresse statuitur in Concilio Florentino [1], ubi

1. Decret. pro Armenis.

ad sacramentum perficiendum, dicitur requiri personam ministri conferentis sacramentum, *cum intentione faciendi quod facit Ecclesia;* cui simile habet Concilium Tridentinum [1]. Pariter, in fine Concilii Constantiensis, Martinus V iussit ut suspectus de haeresi Wicleffitarum et Hussitarum interrogaretur, *utrum credat quod malus sacerdos, cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia sacramenta* [2].

5. — **Prob. rat. theol.** — Actus ad multa indifferens, per intentionem agentis determinari debet. Atqui actus quidam sacramentales sunt ad multa indifferentes: sic ablutio ex se indifferens est ad sacram et profanam, ad seriam et iocosam actionem, ad munditiam vel sanitatem corporalem, etc.; et nisi determinetur voluntate agentis, potest ad omnia ista significanda assumi. Ergo intentio ministri necessaria est ut sacramentum subsistat.

6. — **Solvitur tacita difficultas.** — *Obiicienti* autem determinari materiam per verba formae, — *respondetur,* determinari quidem, sed insufficienter; cum verba de se non determinent materiam ad significandam formaliter rem sacram, absente intentione ministrantis, ex qua praecise ad hoc verba ordinantur.

Ad sacramentum, ait S. Bonaventura [3], *necessaria est intentio et institutio. Ad hoc enim quod sit sacramentum, necesse est quod forma et elementum ad unum ordinentur; hoc autem non est ex se, cum forma et elementum indifferentia sint ad multa; ideo supervenit institutio Christi, qui formam et elementum ordinavit ad aliquem effectum et significatum. Sed tamen institutio, etsi verba ordinavit ad unum, non tamen*

1. Sess. VII, can. 11. — 2. Bulla *Inter cunctas*, 22 Febr., 1418. — 3. 4, Dist. VI, P. II, Art. 2, Quaest. 1, t. IV, p. 153.

arctavit, quia ad alios usus possunt sumi et sumuntur; et ideo ad hoc quod ordinentur, necessarium est intervenire intentionem ministri, qua intendit illo actu et verbo talem effectum dare, vel saltem quod facit Ecclesia facere, vel saltem quod Christus instituit dispensare.

7. — **Confirmatur.** — Minister non est sicut instrumentum inanimatum, cui deest intentio respectu effectus, et quod non habet nisi motum quo movetur a principali agente; sed est instrumentum animatum, quod non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum; et ideo requiritur eius intentio, qua se subiiciat principali agenti [1]. Si secus esset, locum ministri tenere posset machina, ut puta, phonographica, ex qua verba proferrentur, dum medio quodam mechanico aqua super caput baptizandi infunderetur.

8. — **Intentio externa, seu operis externi.** — Hoc posito, ulterius quaerenti, quaenam debeat esse ista intentio, responderunt aliqui, sufficere intentionem operis externi, seu ponendi actum externum quem ordinat Ecclesia, licet desit animus faciendi id quod illa facit, imo licet minister actu contradicat. Quod explicabant dicentes, actionem sacramentalem satis determinari, citra intentionem ministri, per circumstantias ritus sacramentalis. — Huius sententiae praecipuus patronus extitit Ambrosius Catharinus, celeber theologus e familia dominiciana, qui illam, edito opusculo *de intentione ministri* (1552) acriter defendit [2]. Catharino praeiverant Paludanus [3], Sylve-

1. Ad 1m. — 2. Ambrosius Catharinus Tridentino concilio interfuit. Vide hac de re CARD. PALLAVICINI, Istoria del Conc. di Trento, l. VIII, c. 13, n. 1, 2; l. IX, c. 6. — 3. PALUDANUS (Petrus de la Palu), Ord. S. Dominici alumnus, inter alia, scripsit Comment. in IV libros Petri Lombardi. Obiit Parisiis, a. D. 1342.

ster [1] aliique; eumque postea sunt secuti Salmeron [2], Contensonius [3], Natalis Alexander [4], Hyacinthus Serry [5], aliique recentiores, quos inter Drouin [6], Du Hamel [7], etc.

9. — PROP. II. — **Pro sacramentorum validitate, non sufficit intentio ponendi actionem tantummodo externam, sed requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia, actionem scilicet sacram a Christo institutam.**

10. — **Prob. ex auctoritatibus** allatis in propositione praecedenti, et confirmatur ex Sessione XIV Concilii Tridentini [8], ubi supponitur tanquam res nota, sacerdotem, cui animus serio agendi et vere absolvendi desit, non vere absolvere, in quo tamen non deesset intentio ritus externi complendi.

Pariter ab Alexandro VIII condemnatus est, die 7 Decembris, anno 1690, sequens articulus [9]: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia:* quo decreto, ait Benedictus XIV [10], *grave vulnus* opinioni Catherini inflictum est.

1. Inclitus hic theologus, SYLVESTER MOZOLINO, Prierius, ex ortus sui loco, dictus, plura contra Lutheri errores conscripsit. Auctor est *Summae de peccatis*, quae ex suo nomine *Sylvestrina* dicitur. In quatuor libros Sententiarum Magistri commentarios edidit. Obiit a. D. 1523. — 2. ALFONSUS SALMERON, e Soc. Iesu, plurima sibi merita in Sacrae Scripturae interpretatione comparavit. Obiit Neapoli, a. D. 1585. — 3. Ex Ord. S. Dominici, obiit a. D. 1674. Scripsit opus cui titulus, THEOLOGIA MENTIS ET CORDIS. — 4. Ord. S. Dom. et Doctor Sorbonensis. Obiit Parisiis, a. D. 1724. — 5. Scripsit inter alia, opus, *Praelectiones theologicae.* Obiit Paduae, a D. 1738. — 6. Praecedentis nepos, et ipse Ord. S. Dom. Scripsit, inter alia, classicum *tractatum dogmaticum et moralem de Sacramentis.* Venet., 1756. Obiit Eporediae, a. D. 1742. — 7. IOANNES BAPT. DUHAMEL, Congreg. Orator., vir doctissimus. Scripsit opus, *Theologia speculativa et practica,* in 7 vol. Paris, 1691. Obiit a. D. 1706. — 8. Cap. 6. — 9. Est 28us. Denz.-B. 1318. — 10. De Synodo Dioeces., l. VII, c. 4.

11. — **Prob. rat. theol.** — Praeter rationes pro prima propositione allatas, quae valent etiam pro praesenti propositione, addi potest quod, ea quae sunt praeter intentionem, sunt casualia, quod non est dicendum de sacramentorum operatione. Ergo pro sacramentorum validitate requiritur intentio ministri faciendi id quod facit Ecclesia [1]. — Praeterea si, ut communiter docetur, requiritur ex parte adulti suscipientis, intentio suscipiendi rem illam sacram quae est a Christo instituta et quae fit ab Ecclesia, multo magis eadem requiritur ex parte ministri, cum agens sit nobilius patiente. — Denique ab omnibus catholicis admittitur quod derisorie ponens ritum sacramentalem non perficit sacramentum. Atqui non refert, utrum quis sit irrisor apertus, ut in casu mimice ministrantis, an occultus, sicut quando quis simulat sacramentum. Ergo in secundo, sicut in priori casu, sacramentum minime perficitur, cum minister non conformetur institutioni Christi Domini.

12. — **Scholion.** — Quae cum ita sint, sapienter monet Benedictus XIV [2], quod si constet quempiam aut baptismum contulisse, aut aliud sacramentum, ex iis, quae iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate, erit sacramentum iterum sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicae oraculum erit exquirendum, cum causae maiores, difficilioresque quaestiones, fidem aut disciplinam spectantes, ad Apostolicam Sedem sint deferendae.

13. — **Doctrina S. Thomae.** — Porro, quod haec sit doctrina S. Thomae, ambigi non potest, cum hic expresse dicat [3] requiri intentionem ministri, *qua se subii-*

1. *Sed contra.* — 2. Loco cit. — 3. Ad 1m.

ciat principali agenti, ut scilicet intendat facere quod facit Christus et Ecclesia. Similiter idem significat articulo sequenti [1]; imo articulo decimo disertis verbis docet quod cum minister non intendit sacramentum conferre, tollitur veritas sacramenti. Demum, in Commentario in Magistrum Sententiarum ait: [2] *Quamvis minister sacramenti debeat niti ad custodiendum cor suum quantum potest, ut maxime in verbis sacramentalis formae, intentionem habeat actualem; quia tamen cogitatio est valde labilis, etiamsi tunc non adsit actualis intentio, quando verba profert, dummodo prius intenderit, et contraria intentio non intervenerit, sacramentum non impeditur. In sacramentis est duplex intentio: una quae ordinatur ad perfectionem sacramenti, et haec est essentialis sacramento.*

14. — Solvitur tacita obiectio. — Nec obstant quae hic habet Angelicus [3]: *Minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae cuius est minister; in verbis autem quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri vel recipientis sacramentum.* — Nam, his verbis, S. Thomas propositae difficultati respondet, qua dubium movebatur quo modo certiorari possimus de susceptо sacramento, cum ministri intentio nos lateat: unde aliud non vult Angelicus, nisi moralem nobis certitudinem de veritate sacramenti adesse, dum perspexerimus ritum sacrum a ministro serio operante adhibitum [4].

15. — Corollarium. — Quae cum ita sint, dicendum est quod, ubi desit in ministro intentio vere faciendi id quod facit Ecclesia, sacramentum non perficitur: nec dicendum est quod hunc defectum in pueris, qui nesciunt de

1. Ad 1m. — 2. 4, Dist. VI, Quaest. I, art. 2, ad. 4m. — 3. Ad 2m. — 4. Cf. Caiet., in h. l. - Cf. etiam dicenda art. seq. n. 6, seq., p. 248.

hoc sacramento, supplet Christus qui interius baptizat, in adultis autem, qui intendunt sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides et devotio: nam, circa primos non est gratis asserenda illa extraordinaria oeconomia; circa secundos vero, etsi fides et devotio in adultis possit supplere defectum sacramenti quantum ad ultimum effectum, qui est iustificatio, tamen quantum ad characterem, qui est res et sacramentum, hic suppleri nequit per devotionem suscipientis, quia character nunquam imprimitur, nisi per sacramentum [1].

16. — Quid de sacramento per iocum dato sit decernendum. — Porro, cum in historia ecclesiastica legatur, baptismum aliquando per iocum collatum, ratum postea habitum fuisse, sciendum est quod quis potest baptismum conferre aut etiam recipere per iocum dupliciter: vel sic, ut minister non intendat sacramentum conferre aut homo illud suscipere, sed tantum ioculari aut simulare velit, prouti fit in comoediis, et tunc sacramentum certo frustratur; vel sic, ut revera intendat homo sacramentum dare aut recipere, licet sub specie ludi operans, totum quod agit referat ad animi recreationem; et hoc modo, sacramentum est validum; quo sensu intelligendum est, si tamen res historice possit admitti [2], quod referunt Rufinus [3], necnon Sozomenus [4], de Athanasio qui, ob sui oblectationem, intendens id agere quod viderat episcopum alexandrinum facientem, catechumenos et mysteriis nondum initiatos baptizabat, quorum baptismus agnitus est tamquam validus ab episcopis ad concilium congregatis.

Similiter, ratus iudicatus fuit baptismus a Genesio acceptus, licet hic, ut referunt Nicephorus [5] et Sozomenus [6], mimicum tunc ageret; nam cum christianorum sacris,

1. Ad 2m. — 2. Dubitandi momenta clare exhibet Benedictus XIV in Opere de Synodo Dioecesana, l. VII. cap. 4. — 3. Lib. X, c. 14. — 4. L. II, c. 16. — 5. L. VIII, c. 44. — 6. L. II, c. 16.

spectante Diocletiano, illuderet, repente dextera Excelsi inspiratus et mutatus, conversus est, et baptismum non ficte, sed sincere petiit : non multo post vero, conversionis suae veritatem glorioso martyrio confirmavit [1].

17. — Quaestio. — *Estne necesse, ad validitatem sacramenti, ut quis intendat facere quod facit Ecclesia Romana?*

Resp. negative : nam etsi vera Christi Ecclesia sit Ecclesia Romana, hoc tamen accidit intentioni ministri, qui ut valide conferat sacramentum, satis est ut intendat facere quod facit vera Ecclesia, etsi erronee putet hanc esse aliam quam Romanam. Excipe, nisi expresse intendat aliquam particularem ecclesiam, in qua revera virtus sacramentorum non agnoscatur, sicut casus est in ecclesia anglicana circa sacramentum ordinis. Sic igitur, Donatistae, licet male de Ecclesia sentirent, vere tamen baptizabant : pariter sacerdos valide consecratus, si in calvinistarum sectam prolaberetur, valide consecraret, si quidem intenderet facere quod Christus instituit, dummodo expresse non intendat in hoc doctrinae suae sectae se conformare.

18. — Scholion. — Ulterius notari hic potest, quod si quis vere intendat facere id quod facit Ecclesia, etsi contradicat effectui Sacramenti, valet sacramentum, cum in ministro necessaria non sit intentio conferendi effectum sacramenti : sic enim baptismus datus ab haeretico vel infideli, qui quidem intendit facere quod facit Ecclesia, licet nolit hominem baptizatum regenerari, validus est et effectum consequitur, nisi suscipiens ponat obicem.

19. — Quotuplex sit intentio. — Ad ultimam quaestionem nunc devenientes, scilicet quaenam in ministro

1. Vide S. Antonin., I Part. Summ. Hist., tit. VIII, c. 1, § 9 ; Baronius, ad diem 25 August. Similem mutationem refert idem Baronius, de S. Ardalione, 14 April.

intentio esse debeat ad sacramentum valide conficiendum, primo distinguere debemus diversas intentionis rationes. Quod quidem accurate fieri debet, eo vel magis quod magna hac in re confusio penes auctores passim habetur.

Porro, intentio potest esse *actualis*, *virtualis*, *habitualis* et *interpretativa*.

a) *Actualis* intentio est praesens animi applicatio atque concepta voluntas ad opus quod peragitur consequendum, et potest esse simpliciter *directa* seu in actu exercito, aut *reflexa* seu in actu signato, puta cum quis ore vel corde sibi formaliter dicat: intendo hoc vel illud facere.

Virtualis intentio est quae ex actu praecedenti aliquando orta, nec per contrariam voluntatem unquam revocata, influit in actionem, illam ordinans et dirigens, ita ut opus fiat virtute illius primae intentionis, quae censetur perseverare.

Habitualis intentio est quae utique aliquando extitit actu, nec revocata fuit, sed tamen in opus actualiter non influit, quatenus opus illud non dirigit. Huiusmodi intentio censetur haberi, puta, in ebrio aut dormiente, qui aliquando rem actu voluerit. Non potest quippe voluntas influere in actionem, quando homo extra sensus fertur, utputa, si sit ebrius, demens aut dormiens. Dividitur autem haec intentio in *explicitam* et *implicitam*, quatenus fertur in obiectum distincte et in se, aut ut contentum in alio obiecto.

Interpretativa intentio dicitur, quae nec est, nec fuit, sed probabili existimatione praesumitur habenda ab homine, statim ac de re vel primum cogitet.

Ut autem clare appareant huiusmodi distinctiones, sequens schema subnectimus.



20. — **Adnotanda.** — Hoc loco autem sedulo adverti debet, primo, intentionem *habitualem* hic non accipi secundum quod fert prima nominis significatio, nempe pro promptitudine quadam operandi ex habitu sive infuso, sive acquisito. Secundo, *interpretativa* intentio, quae revera intentio non est, a quibusdam vocatur etiam *conditionata*, quia videlicet adesset, si agens adverteret. — Tertio non videtur recte dici, intentionem *virtualem* fieri *habitualem* per notabilem interruptionem temporis: nulla quippe temporis interruptio valet ad revocandam intentionem semel emissam; sic Pius X concessit pro articulo mortis lucrandam indulgentiam plenariam ei qui semel in vita mortem susceperit conformiter divinae voluntati. — Demum notandum est, id quod dicitur intentio *interpretativa* posse dupliciter accipi: vel proprie, pro nuda potentia, ut in parvulo usu rationis carente, vel improprie, pro intentione habituali implicita.

21. — PROP. — **Ad sacramenta valide conficienda, α) non sufficit intentio interpretativa, β) vel habitua-**

lis; γ) nec tamen requiritur intentio actualis; δ) sed sufficit virtualis intentio.

22. — **Prob. 1ª Pars.** — Intentio interpretativa consistit in simplici agentis non repugnantia, et solum praesumitur habenda a subiecto recte cogitante et volente: unde proprie loquendo non est efficax et absoluta intentio, sed potius conditionata quaedam dispositio: scilicet, adesset talis intentio in aliquo individuo, si actu cognosceret rem esse agendam.

23. — **Prob. 2ª Pars.** — Intentio quae non influit in actum, ad reddendum illum formaliter humanum, non sufficit ad sacramenta valide conficienda: minister enim sacramentorum est, ut diximus, velut instrumentum intelligens. Atqui talis est intentio habitualis. Ergo haec non sufficit ut sacramentum valide conferatur. — Nec contrarium docet Angelicus, cum dicit [1], sufficere intentionem habitualem ad perfectionem sacramenti: hic enim sumit ly *habitualem* pro *virtuali*, ut patet ex contextu.

24. — **Prob. 3ª Pars.** — Hoc non est totaliter positum in hominis potestate, ut actualem intentionem semper habeat, quia cum multum vult intendere, incipit praeter intentionem alia cogitare, secundum illud [2]: *Cor meum dereliquit me* [3]. Atqui Deus impossibilia non iubet; aliunde, ut dictum est, sacramenta sunt administranda more humano, ad quem salvandum, non requiritur intentio actualis.

25. — **4ª Pars** sequitur tamquam corollarium ex dictis, scilicet, opus aliquod sufficienter censetur procedere ab intentione agentis, quando hic est sufficienter compos sui, ut intelligantur ea quae actualiter facit, cum

1. Hic, ad 3m. — 2. Ps. XXXIX, 13. — 3. Ad 3m.

eius primaeva intentione, quae nunquam est retractata, revera continuari [1]. Unde, si sacerdos accedens ad baptizandum, intendat quidem facere circa baptizandum id quod Ecclesia facit, licet postea in ipso actus exercitio, illius cogitatio ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis, perficitur sacramentum [2].

26. — **Scholion.** — Attamen, advertit S. Thomas [3], sacramentorum minister studiose curare debet, ut etiam actualem intentionem adhibeat; sic enim in opus sacrum intensius incumbens, maius meritum acquirit, maioremque sacramenti fructum consequitur. — Hoc tamen non sibi vult, actualem intentionem reflexam esse debere, cum sufficiat ut sit directa, seu in actu exercito. *Non studendum est*, ad rem Caietanus [4], *ut habeamus hoc in mente actualiter : Ego intendo conficere, sed studendum est ut actualiter mens nostra ad ea quae sunt consecrationis attendat, puta, ad prolationem distinctam formae, ad reverentem contrectationem materiae, ad futuram hanc ineffabilem praesentiam divinae gratiae in sacramento, vel etiam ipsius Christi quoad Eucharistiam. Hoc est enim consecrare cum intentione in actu exercito.*

Articulus IX. — *Utrum fides ministri sit de necessitate sacramenti.*

1. — **Errores.** — Teste S. Vincentio Lirinensi [5], primus Agrippinus, contra morem et instituta maiorum, rebaptizandum esse censuit eum qui ab haereticis fuisset baptizatus. Hunc errorem suscepit S. Cyprianus, qui, in epistola contra haereticos [6], eousque pertigit, ut diceret *omnia quaecumque faciunt haeretici, carnalia esse, et*

1. Cf. 4, Dist. VI, Quaest. I, art. 2, ad 4m. — 2. Ad 3m. — 3. Ibid. — 4. In h. loc. — 5. Commonit., c. 9. — 6. Est 12a lib. I. —

inania et falsa, ita ut nihil eorum quae illi gesserint, a nobis probari debeat; contra quem errorem fortiter insurrexit S. Stephanus Papa, et cum eo tota traditio christiana.

Quod autem sancto Cypriano error ille martyrii splendori non detraxerit, eloquenter testatur S. Augustinus [1]: (Martyris Cypriani, qui) *apud haereticos vel schismaticos datum Christi baptismum nolebat agnoscere,... tanta merita usque ad triumphum martyrii consecuta sunt, ut et caritatis qua excellebat, luce, illa obumbratio fugaretur, et... si quid habebat purgandum, si nulla re alia, certe passionis falce ultima tolleretur.*

2. — PROP. — **Non requiritur ad perfectionem sacramenti fides ministri.**

3. — **Auctoritas.** — Haec veritas, quae de fide tenenda est, ita in Concilio Florentino continetur [2]: *In casu necessitatis, non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam.., paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia.* Consonat Concilium Tridentinum [3]: *Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, A. S.* — Quod autem de baptismo dicitur, de aliis quoque sacramentis conformiter est tenendum.

4. — **Traditio.** — Traditionis testis est insignis S. Augustinus, qui contra Petilianum Donatistam scribit [4]: *Mementote, sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quo illa non sint, vel minus sancta sint.* Qui etiam attendens ad hoc quod de hac re Scriptura

1. Lib. de unic. Bapt. contra Petilian., c. 13. n. 4, t. IX, col. 538. — 2. Decret. pro Armenis. — 3. Sess. VII, can. 4 de Baptismo. — 4. L. II, c. 47.

silet, scite advertit [1]: *Quamvis huius rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universae iam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas; ut, quoniam Sacra Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quaestionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Sacra Scriptura demonstrat.*

5. — **Falsa S. Cypriani positio.** — Sed nihil veritatem hanc in tam claram lucem induxit, quam ipsamet S. Cypriani falsa positio. Primo quippe acrem oppugnatorem habuit S. Stephanum Papam; deinde, ut testatur S. Augustinus [2], condemnatus fuit a plenario totius orbis concilio scilicet a concilio nicaeno (A. D. 325), ut coniici potest ex hoc quod idem Pater asserit [3] scilicet concilium illud celebratum fuisse post Cypriani quidem passionem (A. D. 258), sed antequam ipsemet Augustinus nasceretur (A. D. 354). Revera, S. Hieronymus [4] affirmat Synodum Nicaenam suscepisse in suo sinu omnes baptizatos ut baptizatos, ordinatos ut ordinatos, exceptis Paulianistis, qui non servabant ritum baptismi [5]. His cohaerenter, S. Innocentius I edixit [6], Paulianistas quidem ad Ecclesiam venientes rebaptizandos esse, eo quod minime baptizassent in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; Novatianos vero, quia his nominibus tremendis et venerandis baptizati essent, manus tantum impositionem debere accipere [7].

Quae cum ita sint, rebaptizantium error id unum praestitit, ut in clariorem lucem poneretur antiqua veritas. *Quis tunc universi negotii exitus?* quaerit S. Vin-

1. L. I contra Cresconium, c. 33, t. IX, col. 407, 408. — 2. L. I de Baptismo, c. 7. Ibid., col. 84. — 3. L. II, c. 9. Ibid., col. 104. — 4. Dialog. contra Luciferianos. in fine. — 5. Cf. Can. 19 et Concil. Nicaeni I. Denz.-B., nn. 55. 56. — 6. Epist. ad Rufum et alios episc. Macedoniae. Denz. - B., n. 97. — 7. Cf. eiusdem epist. et Victricium, episc. Rhotomag.

centius Lirinensis [1]; *quis utique, nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.*

6. — **Prob. rat. theol.** — Quia minister in sacramentis operatur instrumentaliter, et non agit virtute propria, sed virtute Christi, ideo necessarium non est, ut diximus, ad veritatem sacramenti, quod sit per caritatem perfectus, sed possunt etiam peccatores sacramenta administrare. Atqui sicut pertinet ad propriam virtutem caritas, ita et fides. Ergo fides ministri necessaria non est ad perfectionem sacramenti, sed infidelis potest verum sacramentum praebere, dummodo caetera adsint quae sunt de necessitate sacramenti.

7. — **Aliqua fides requiritur ad validam sacramentorum collationem.** — Attamen perperam quis, ex anteacta doctrina, argueret nullam prorsus fidem, sumpta fide latiori sensu, ad validam sacramentorum susceptionem requiri. Dictum est enim quod intentio requiritur; atqui fides est quae *dirigit intentionem*, ut S. Augustinus ait [2]. Ergo aliqua fides ad validam sacramentorum collationem requiritur: ut scilicet minister credat faciendum esse id quod Ecclesia facit, et velit eius actioni se conformare.

8. — **Explicatur.** — Ad quod intelligendum, sciendum est quod contingere potest aliquem pati defectum fidei circa aliquid aliud ad fidem pertinens, sed non circa veritatem sacramenti quod exhibet, puta, si quis credat iuramentum esse in omni casu illicitum, et tamen credat baptismum habere efficaciam ad salutem; quo casu ministri intentio dirigitur per id quod recte sentit de sacramento quod exhibet; ideoque infidelitas quam de aliis

1. Commonit., I, n. 6. — 2. Implic. l. IV Contra Iulianum, c. 3, t. X, col. 591; et expresse in praef. ad Ps. XXXI, n. 4, t. IV, col. 172.

rebus habet, non impedit in eo intentionem sacramentum conferendi. Si vero minister defectum fidei patiatur circa sacramentum ipsum quod exhibet, ita ut putet, per id quod exterius agit, nullum sequi interiorem effectum, scit tamen Ecclesiam catholicam intendere per huiusmodi, quae exterius aguntur, sacramentum, tunc eius infidelitate non obstante, potest adhuc intendere facere id quod facit Ecclesia, licet existimet nihil esse quod Ecclesia facit: quae quidem intentio ad sacramentum sufficit, cum minister agat in persona totius Ecclesiae, ex cuius fide suppletur id quod fidei ministri deest: dirigitur enim tunc ministri intentio, non per suam fidem sed per fidem Ecclesiae [1].

9. — **Suspensi, excommunicati et degradati possunt valide, etsi illicite, sacramenta ministrare.** — Quae cum ita sint, cum potestas ministrandi sacramenta pertineat ad spiritualem characterem qui indelebilis est, ideo per hoc quod quis ab Ecclesia suspenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi sacramentum, sed solum licentiam hac utendi potestate; et ideo sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo; et similiter, ille qui ab eo accipit sacramentum, huiusmodi quidem sacramentum accipit, sed non percipit rem sacramenti, nisi forte per ignorantiam excusetur [2].

10. — **Corollarium.** — Ex hoc consequitur, distinctionem sedulo esse faciendam inter haereticos qui formam sacramentorum penitus negligunt, et eos qui eam observant. Et quidem priores neque sacramentum conferunt, neque rem sacramenti; alii vero conferunt quidem sacramentum, sed non rem sacramenti, si videlicet

1. Ad 1m. — 2. Ad 3m. Difficultates ex historia contra hoc punctum motas, invenies fuse expositas et solutas apud Franc. Sylvium, h. l.

sint manifeste ab Ecclesia praecisi. Ex hoc ipso enim quod quis scienter a talibus ministris sacramenta recipit, non solum peccato se commaculat, sed etiam impeditur ne effectum sacramenti consequatur. Unde S. Fulgentius dicit [1]: *Firmissime tene et nullatenus dubites,... extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, eodem baptismo cumulari perniciem.* Et S. Leo Papa aiebat [2]: *Manifestum est, per crudelissimam et insanissimam vesaniam, in Alexandrina sede omne caelestium sacramentorum lumen extinctum: intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria* [3].

11. — **Communicatio cum haereticis vetita.** — Ad huiusmodi grave malum praecavendum, nempe ne fideles frustrentur fructu sacramentorum, sapientissime vetat Ecclesia, ne cum ministris haereticis communicent: in quo aliud quidem non facit, nisi monito S. Pauli obtemperare [4]: *Haereticum hominem, post unam et secundam correptionem, devita;* cui cohaeret illud S. Ioannis [5]: *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis.*

12. - **Verba Leonis XIII.** — Ad rem quamprime accommodantur verba Leonis XIII in Litteris Apostolicis de *ordinationibus Anglicanis* [6]: *De mente vel intentione, utpote quae per se quiddam est interius, Ecclesia non iudicat: at quatenus extra producitur, iudicare de ea debet. Iamvero cum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse quod facit Ecclesia. Quo sane prin-*

1. In Lib. de fide ad Petrum, c. 36. Inter Opp. S. Aug., t. VI, col. 31, 32. — 2. Ep. ad Leonem August., quae est 75, c. 5. — 3. Ad 2m. - 4. Tit., III, 10. — 5. 2 Ep., 10. — 6. Litt. Ap. *Apostolicae curae*, Ibid. Sept., 1896.

cipio innititur doctrina quae tenet esse vere sacramentum vel illud, quod ministerio hominis haeretici aut non baptizati, dummodo ritu catholico, conferatur. Contra, si ritus immutetur, eo manifesto consilio ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia et quod ex institutione Christi ad naturam attinet sacramenti, tunc palam est, non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem immo haberi sacramento adversam et repugnantem.

Articulus X. — *Utrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.*

1. — **Ratio praesentis articuli.** — Superius iam statutum est morum perversitatem, in sacramentorum administratione, ipsa sacramenta non frustrare, eo quod minister rationem instrumenti induit, quod non secundum propriam formam aut virtutem agit, sed secundum formam aut virtutem principalis agentis [1]. Nunc igitur, cum statutum fuerit [2], requiri in ministro intentionem, quaestio proponitur quid sit decernendum, dato quod perversitas huiusmodi respiciat ipsammet ministri intentionem. — Porro, duplici modo potest intentio ministri perverti: primo, respectu perfectionis ipsius sacramenti, seu ex parte operis positi, puta si quis non intendat sacramentum conferre, sed tantummodo aliquid derisorie agere; secundo, respectu usus sacramenti, seu ex parte operantis, ut si quis velit conficere corpus Christi, ut eo ad veneficia utatur. Iamvero, planum est perversa ministri intentione, primo modo accepta, frustrari sacramentum, cum sic nulla revera esset intentio. Tota ergo dubitatio in praesenti respicit intentionem ministri operantis quantum ad usum sacramenti. Pro quo sit

1. Art. 5. — 2. Art. 8.

2. — PROP. — **Minister qui sacramentum conficere intendit iuxta morem Ecclesiae, attamen ob finem malum, conficit quidem vere; at ex tali intentione graviter peccat.**

3. — **Prob.** — Prius non dependet a posteriori. Ergo perversa ministri intentio circa ea quae sacramentum consequuntur, quae posteriora sunt, non tollit veritatem sacramenti quae prior est; licet taliter operans graviter peccet, cum sancta non sancte pertractet, et Ecclesiae instituto aperte repugnet. Etenim, etsi quod ad sacramenti perfectionem attinet, intentionem suam Ecclesiae conformet, quod tamen attinet ad usum sacramenti, contradicit Ecclesiae intentioni, nec quod agit ei ad meritum cedere potest [1].

4. — **Explicatur** — Ad quod plenius intelligendum, attendendum est quod actus nostri ex fine potissimum moralitatem accipiunt, iuxta id quod ait Dominus noster [2]: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Ergo si quis perversa intentione sacramentum aliquod conficiat, puta si sacerdos intendat aliquem hominem baptizare ut eius divitias furetur, quantum est ex sua operatione, male agit et demeritum sibi comparat; at ex hoc minime frustratur intentio vel opus Christi cuius ille est minister; sicut si alicuius principis oeconomus domini sui eleemosynam pauperibus prava deferret intentione, illius recta intentio et opus misericordiae minime perverterentur [3].

5. — **Corollarium.** — Ex dictis consequitur, aliud iudicium ferendum esse de intentione perversa respiciente usum sacramenti, et aliud de intentione ludicra vel iocosa: haec quippe excludit rectitudinem intentionis per quam perficitur sacramentum, non autem illa [4].

1. Ad 1m. — 2. Luc., XII. — 3. Ad 3m. — 4. Ad 2m.

APPENDIX I.

De intentione requisita in subiecto suscipiente sacramentum.

1. — **Ratio huius quaestionis.** — Non satis fuisset recensere conditiones quae in ministro requiruntur ut sacramenta cum fructu et merito conferat, nisi etiam de sacramentorum subiecto, iuxta ea quae superius notavimus [1], investigatio instituereturr, quatenus cognosci possit quaenam in eo animi dispositio supponatur sive ad validam, sive ad licitam sacramentorum susceptionem: de qua re hic ex professo agemus.

2. — **Praenotanda.** — Ubi praemoneri lectorem volumus, quod satis apud omnes in comperto est, solum hominem viatorem esse subiectum capax sacramentorum, eo quod sacramenta signa sunt sensibilia efficacia gratiae, et utraque ratione solis viatoribus prosunt: videlicet, ut signa sensibilia non competunt animae humanae a corpore separatae; ut autem efficientia gratiae, eis qui extra terminum iam sunt positi minime possunt prodesse.

Ulterius autem adnotandum est, non omnes homines esse omnium sacramentorum capaces; sic, verbi gratia, nequeunt infantes matrimonium contrahere; homo sanus extremae unctionis incapax est, et pariter femina sacramenti ordinis.

Praeterea, distinctio erit sedulo facienda, hinc quidem inter infantes vel perpetuo amentes et adultos, illinc vero inter adultos qui sui sunt compotes, et adultos qui sui compotes non sunt, puta, vel quia in amentiam aut ebrietatem inciderunt, vel quia extra sensus per somnum vel per morbum sunt positi.

Demum debet sedulus rerum theologicarum investiga-

1. Prooem., n. 9, p. 9

tor, in hac tam implexa quaestione, iugiter distinctiones inter varias intentionum species, prouti in schemate superiori positae sunt [1], prae oculis tenere, ne a recta via deflectat.

Ut igitur a dispositione intellectus incipiamus, dicimus

3. — PROP. I. — **Ad sacramenti valorem, ut sacramentum est, non requiritur vera fides formaliter, nisi pro sacramento poenitentiae.**

Sermo hic est de homine formaliter haeretico: qui enim tantummodo haereticus materialis est, seu in bona fide, non solum sacramentum, sed etiam rem sacramenti suscipere potest.

4. — Prob. — Eruitur haec veritas ex principio saepius invocato, scilicet sacramenta valorem suum ex principali agente, qui Deus est, producere, cum ex parte subiecti id tantum requiratur, ut non ponat obicem. Atqui carentia verae fidei obest quidem quominus sacramenti rem, quae est gratia sanctificans, quis consequatur; at non impedit quin sacramentum ipsum percipiat, dummodo adsint legitima materia et forma. Quocirca, in pluribus Conciliis definitum est, haereticos ab haereticis baptizatos vel ordinatos, si quando ad fidem catholicam redierint, non esse denuo baptizandos vel ordinandos. — Excipitur tamen poenitentia: quia cum in hoc sacramento actus poenitentis, nempe confessio, contritio et satisfactio, sint sacramenti materia, non possit autem esse sincera poenitentia, si quis veram fidem scienter abiiciat (taliter enim agens sacramentum formaliter ficte susciperet), hinc ad poenitentiae valorem requiritur ut quis veram fidem formaliter non abiiciat.

Quae cum ita constiterint circa conditionem requisitam ad valide suscipiendum sacramentum ex parte intellectus, iam ad quaestionem de intentione, quae ad voluntatem pertinet, solvendam accedimus.

1. Supra, art. 8, n. 19, pp 241, 242.

5. — PROP. II. — **In parvulis et perpetuo dementibus nulla requiritur intentio ad valide suscipienda sacramenta, quorum illi sunt capaces.**

6. — **Prob.** — Hoc evidenter eruitur ex perpetua traditione et praxi Ecclesiae de infantium baptismo: quod si necessarius esset aliquis actus voluntatis ex parte illorum, salvari non possent. Porro, sacramenta, quorum infantes capaces sunt, praeter baptismum, sunt confirmatio, Eucharistia et ordo: in his videlicet supplet intentio Ecclesiae.

Potest tamen dici in parvulis esse intentio proprie interpretativa, quatenus bonum illud, quod est sacramentum, habere cuperent, si illud cognoscerent.

7. — PROP. III. — **In adulto, ad validam susceptionem sacramenti, requiritur aliqua intentio interna illud ut rem sacram suscipiendi, praeter Eucharistiam, quae consistit in re permanenti.**

8. — **Auctoritates.** — Veritas haec potest primo ostendi ex hoc Summi Pontificis Innocentii III: *Ille qui non consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti* [1].

Idipsum constat ex perpetua praxi Ecclesiae, quae ex Rituali Romano, iussu Pauli V edito, nobis innotescit, ubi legitur [2]: *Si quis adultus sit baptizandus, debet... eius voluntas et propositum saepius explorari, et nonnisi sciens et volens probeque instructus baptizari.* Infra quoque [3] declarat posse adultos, qui in amentiam inciderint, baptizari, *si antequam insanirent, suscipiendi baptismi desiderium ostenderint.*

Sed nec praetereundae sunt auctoritates Conciliorum Carthaginensis III [4], et Arausicani I [5]: in quorum priori le-

1. L. 3 Decr., tit. 42, c. 3, *Maiores*, adversus Petrobrussianos, Arnaldistas, Waldenses. Cf. Denz.-B., n. 342. — 2. Tit. II, cap. 3, n. 1. — 3. Ibid., n. 12. — 4. A. D. 397. — 5. A. D. 441.

gitur [1]: *Aegrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.* In altero autem dicitur [2]: *Subito obmutescens, prout status eius est* (statutum est), *baptizari aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis, aut praeteritae testimonium aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu.*

9. — **Ratio theol.** — In iustificatione hominis, lex ista a Deo constanter observatur, ut nullus adultus, qui usum rationis habuerit vel habeat, divinam gratiam de novo accipiat aut in se auctam habeat, nisi aliquo voluntatis motu Deo operanti consenserit. Atqui per novae Legis sacramenta, divina gratia vel de novo homini datur, vel in eius anima augetur. Ergo nullus talis adultus suscipere sacramenta debet, sine seria et sincera intentione illa recipiendi: unde S. Thomas asserere non dubitat quod adultus, in quo *deesset intentio suscipiendi baptismum, esset rebaptizandus* [3]. — Hanc autem intentionem seriam et sinceram esse debere patet, quia hominis iustificatio et sanctificatio est opus omnino internum et voluntarium, scilicet humanae naturae consentaneum [4]; unde concludendum est, quod si quis exteriorem ablutionem reciperet, non intendens sacramentum suscipere, sed ludum et dolum facere, esset simpliciter rebaptizandus.

10. — **Solvuntur difficultates.** — Multi perhibentur vel baptizati vel ordinati inviti, quorum tamen baptismus vel ordinatio rata est habita. Ergo consensus vel intentio non requiritur in suscipiente sacramentum.

Resp. *Dist antec.:* inviti, secundum quid, *conc.;* simpliciter, *nego. Nego conseq. et conseq.* Plures utique perhibentur baptizati vel ordinati inviti, id est, cum aliqua

1. Can. 34, Mansi, t. III, col. 885. — 2. Can. 12, Mansi, t. VI, col. 438. — 3. 3, Quaest. LXVIII, art. 7, ad 2m. — 4. Cf. Conc. Trid., Sess VI, cap. 7.

repugnantia, propter metum vel reverentiam, qui tamen in baptismum vel ordinationem simpliciter consenserunt, voluntate quae prius reluctabatur sponte inclinata ad id praestandum, quod a superioribus ab ipsis requirebatur. Hoc modo intelligendum est quod in iure de Iudaeis dicitur [1], quod coacti ad baptismum suscipiendum, gratiam baptismi susceperunt: isti enim, licet initio dissenserint, postea tamen simpliciter consenserunt. Hoc sensu etiam legitur de S. Augustino, quod apprehensus invitus presbyter ordinatus est: nempe, licet ob humilitatem diu esset reluctatus, denique tamen importunitate episcopi devictus, in ordinationem libere consensit.

II. Patientis non est aliquam intentionem elicere. Atqui ille qui suscipit sacramentum habet se ut patientem. Ergo nulla eius intentio requiritur.

Resp. *Dist. mai.:* patientis involuntarii, *conc.*; voluntarii, *nego. Dist. min.:* ut patientem voluntarium, *conc.*; ut patientem involuntarium, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Cum Deus operetur in unoquoque secundum modum suae naturae, homo autem sit libertate praeditus, hinc ad validam sacramenti susceptionem, si quidem sit adultus, divinae operationi in se consentire debet, iuxta tritum illud S. Augustini [2]: *Qui fecit te sine te, non te iustificat sine te.*

III. S. Augustinus ait [3]: *Quisquam accipere potest sacramentum nolens, credere non potest, nisi volens.* Ergo hominis intentio non requiritur ad validam sacramenti susceptionem.

Resp. Cum S. Augustinus alibi [4] expresse doceat, hoc discriminis esse inter infantes et adultos, quod isti interrogati pro se respondere debent, pro infantibus vero sufficit susceptores respondere, ne agnoscatur S. Pater sibi contradixisse, dicendum est illum, in obiecto textu, vel sumere verbum *nolens* sensu relativo, pro reluctanti, vel lo-

1. Can. de Iudaeis, Dist. XLV. — 2. Serm. CLXIX de verbis apost., c. XI, n. 13. — 3. Tract. XXVI in Io. — 4. L. IV Contra Donatistas, c. XXIV.

qui de sacramento Eucharistiae, quod cum habeat esse permanens, potest tum a nesciente, tum ab invito, etsi sine fructu, percipi, ut diximus in propositione.

11. — **Quaestio.** — *Qualis intentio requiritur in adulto ad sacramentum valide suscipiendum?*

Resp. Intentio requisita in adulto ad sacramentum valide suscipiendum, diversa est, *primo,* secundum diversitatem conditionis ipsius adulti; *secundo,* secundum diversitatem sacramentorum.

I. In adulto qui sui compos est, pro baptismo, ordine, poenitentia et matrimonio, intentio requiritur virtualis; quia per priora duo sacramenta graves homo suscipit obligationes; ad posteriora autem ipsi actus suscipientis sunt materia sacramenti. Pro ceteris sacramentis sufficit, absolute loquendo, intentio habitualis, quae implicite continetur in proposito vivendi christiane; quia in suscipiente, utpote qui patiens est, non requiritur intentio quae sit principium actus humani, et determinativa ad esse sacramenti; haec enim in agente requiritur. Aliunde qui vivere intendit christiane, habet propositum generale suscipiendi sacramenta sibi convenientia aut necessaria. Haec intentio habitualis implicita a nonnullis interpretativa appellatur, sed improprie.

II. In adultis qui usum rationis habuerunt, sed actu sui compotes non sunt, ut sunt amentes, ebrii et dormientes, requiritur pro baptismo et ordine intentio habitualis explicita. Pro caeteris sacramentis, sufficit intentio habitualis implicita; attamen pro matrimonio, quod, utpote contractus, praeviam supponit in coniugibus determinatam voluntatem ius in corpora sibi mutuo tradendi, requiritur, saltem ex parte unius coniugis, intentio actualis, licet ex parte alterius, sufficiat intentio habitualis explicita.

Haec omnia sequenti schemate ordinatim panduntur.

SUBIECTUM		VALIDE SUSCIPERE	Baptismum	Confirmationem	Eucharistiam	Poenitentiam	Extremam Unctionem	Ordinem	Matrimonium
INFANS			potest	potest	potest [1]	non potest	non potest	potest [2]	non potest
ADULTUS	compos sui		potest, cum intentione virtuali	potest, cum intentione habituali implicita [3]	potest, sine ulla intentione	potest, cum intentione virtuali	potest, cum intentione habituali implicita	potest, cum intentione virtuali	potest, cum intentione virtuali
ADULTUS	non compos sui		potest, cum intentione habituali explicita	potest, cum intentione habituali implicita	potest, sine ulla intentione	potest, cum intentione habituali implicita [4]	potest, cum intentione habituali implicita	potest, cum intentione habituali explicita	potest, cum intentione habituali explicita, dum alter coniux consensum emittit [5].

1. Olim quidem parvuli Eucharistiam recipere consueverunt ; nunc autem hoc vetitum est Ecclesiae praescripto. — 2 Numquam parvuli licite ad ordinationem admissi sunt. — 3. Haec intentio vocatur habitualis implicita, eo quod in voluntate amplectendi religionem christianam, implicite continetur intentio faciendi et recipiendi omnia quae ad salutem conducunt. — 4. Casus est de homine in periculo mortis constituto, et tamen extra sensus posito, quem si sacerdos noverit bonum christianum, absolvere et quidem absolute debet, cum in bona vita includatur dolor de peccatis qui sufficienter externe manifestatus est ex hoc quod christiane vixerit, et censetur perdurare cum intentione suscipiendi sacramentum, dum sacerdos illum absolvit. — 5. Casus est de Titio, qui consensum antea dedit et nunc extra sensus est positus. dum Bertha actu consensum emittit : ille enim Titii consensus moraliter perseverare censetur.

12. — Sacramenta mortuorum et sacramenta vivorum. — Nunc vero, ad alteram quaestionem accedentes, de dispositionibus requisitis ad licitam et salutiferam sacramentorum susceptionem, primo loco praemittere debemus distinctionem inter sacramenta mortuorum et sacramenta vivorum. Nimirum priora sacramenta instituta sunt formaliter ad vitam gratiae dandam vel restituendam homini per peccatum mortale defuncto: videlicet, baptismus ad hominem regenerandum ad vitam gratiae, per sublationem peccati originis; poenitentia vero ad eius culpas actuales, quibus inimicitiam Dei incurrit, auferendas. Posteriora vero sacramenta ordinata sunt ad perficiendum hominem in vita spirituali gratiae, secundum diversa vitae christianae officia: huiusmodi sunt confirmatio, Eucharistia, extrema unctio, ordo et matrimonium. Superius Aligherii verba adducimus, quibus distinctionem sacramenta vivorum a sacramentis mortuorum obumbrat [1].

13. — Quaestio. — *Quaenam dispositiones requiruntur in subiecto ad licitam et salutiferam sacramentorum susceptionem?*

Resp. I. Ad suscipienda sacramenta mortuorum cum fructu, praeter debitam intentionem, requiritur saltem attritio, quae sequentes actus includit qui, ut docet Concilium Tridentinum, sunt veluti gradus quibus peccator ad iustificationem accedit: nempe, fidem, timorem, spem seu fiduciam in Deo collocandam, initialem amorem Dei, odium et detestationem peccati.

II. Ad suscipienda sacramenta vivorum cum fructu, praeter debitam intentionem, requiritur status gratiae sanctificantis: cum enim haec sacramenta sint instituta ad gratiam augendam, illam in subiecto supponunt.

1. Proem., n. 7, p. 6.

APPENDIX II.

UTRUM SEMPER DISTINGUENDUM SIT INTER MORTEM APPARENTEM ET MORTEM REALEM, ITA UT IN OMNI CASU LICEAT HOMINI SACRAMENTA MINISTRARE POST MORTEM APPARENTEM.

1 — **Distinctio inter mortem apparentem et mortem realem.** — Recentiori tempore invecta est sententia quae tenet, semper et in omnibus casibus, distingui debere mortem apparentem a morte reali, et hanc quidem illa tempore posteriorem esse, adeo ut possit sacerdos, imo obligatione teneatur, homini qui iam spiritum emisisse videatur, et in quo cessaverit omnis cordis pulsatio aut motus quicumque corporis, per aliquod temporis spatium, puta quadrantis, vel mediae, aut etiam, iuxta plures, unius vel alterius horae, sacramenta poenitentiae et extremae unctionis, servatis servandis, subministrare. — Quale de hac sententia, quam hodierno tempore multi sequuntur, iudicium ferri debeat, breviter hic exponemus, inquirendo tamen potius quam definiendo, cum adhuc desideretur hac super re Ecclesiae explicita definitio vel formalis declaratio.

2. — **Repentini casus lethales.** — Porro, primo loco, menti succurrit positionem hanc, quae communiter proponitur ut novum scientiae adinventum, ab antiquis iam quadamtenus fuisse cognitam: quantum scilicet ad aliquos casus, quales videlicet, puta, ex syncope, apoplexiae ictu, aquarum praefocatione, etc., de die in diem eveniunt. Nimirum, in hisce casibus, ultro agnoscendum est non semper mortem realem coincidere cum morte apparenti, sed intervallum aliquod, sat longum, inter utramque saepius intercedere: quam ob rem licitum est taliter decumbenti sacramenta, saltem sub conditione, ministrare.

3. — Novitas sententiae ponentis mortem realem semper tempore subsequi mortem apparentem. — Quod autem hac in re revera novum est, et sic suspicioni dat locum, est universalitas quae huic sententiae a recentioribus theologis datur, quasi videlicet *semper et in omnibus casibus* verificetur praefata distinctio temporis inter mortem apparentem et mortem realem. Porro, quoties de re aliqua cum dogmate connexa agitur, novellitas alicuius sententiae praesumptionem contra eamdem facere iure meritoque censetur.

4. — Solvitur tacita difficultas. — Obiicienti aliqua interdum, ex physicarum scientiarum profectu, in ecclesiastica disciplina, de novo prodiisse, ut puta parvuli baptismum in utero matris, cui tamen rei S. Thomas olim refragabatur [1], — *respondetur*, id utique admitti posse, quoties certa adsint argumenta ad novam praxim inducendam : et quidem in casu de parvulorum baptismo, utique potuit tantisper modificari praxis quam S. Thomas indigitat, cum ex perfectis iam artis chirurgicae instrumentis, fieri valeat ut aqua ad corpusculum pueri adhuc in utero materno clausi certo pervenire possit.

Ceterum, quod haec fuerit mens S. Thomae, non debere scilicet parvulum, nondum ex utero matris egressum, baptizari, praecise quia impossibile reputabatur aquam usque ad illum pervenire, attente legenti citatum locum clare apparet, cum expresse dicat [2]: *Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente:* ergo a pari, ex mente S. Thomae, baptizari debet parvulus, licet nondum ex utero materno egressus, dummodo aqua ad illum usque possit pervenire. — At, in casu de quo agimus, nullum ex scientia physica certum eruitur motivum ad deducendum, in omnibus prorsus casibus, ut volunt moderni theo-

1. 3, Quaest. LXVIII, art. 11. — 2. Ad 3m. Cfr. tr. n. DE BAPTISMO, h. l.

logi, mortem realem morti apparenti, nonnisi post temporis determinatum intervallum, succedere.

Ulterius notandum, quoties ex physicis experimentis aliqua visa fuerit modificatio in Ecclesiae praxi inducenda, haec fuit non contra, sed praeter, antiquam consuetudinem, sicut apparet in casu de puerorum baptismo in uteris maternis, cum nondum olim instrumenta prostarent, quibus aqua ad parvulum usque perduci posset: in praesenti autem casu, invocata modificatio directe contra antiquam consuetudinem procederet, cum nullatenus mutata inveniatur hominis nunc mortui conditio, ab eiusdem praeterito tempore conditione.

5. — **Nutans huius sententiae fundamentum.** — Ut autem ad hanc sententiam discutiendam propius accedamus, animadvertimus hoc sententiae huic vitio vertendum videri, quod, ex pluribus, et quidem rite constitutis casibus, in quibus homines, qui mortui habebantur, adhuc vita fruentes deprehensi sint, velit universaliter evinci hominem, post communia mortis signa, vita, si non in actu secundo seu in operibus vitae, saltem in actu primo, seu in ipsa viventis substantia, semper adhuc frui. Nimirum, argumenta, quae ab huius sententiae patronis proferuntur nimis empirica videntur, quam ut inde universalis norma deduci prudenter valeat: ex hoc enim quod unus vel alter homo, vel etiam plures homines, cum iam crederentur mortui, postea tamen inventi sint adhuc vita fruentes, id speciali morbi, quo occubuerunt, indoli adscribi potest, quin inde concludere fas sit, in communi hominum sorte poni, ut nonnisi post certum temporis spatium mors reipsa incedat.

6. — **Sententia quae tenet mortem realem semper posteriorem esse morte apparente, est a communi hominum, Ecclesiae et Scripturae sensu dissona.** — At, praeterea, praefata sententia, generalibus enuntiata ter-

minis, non solum sensui hominum communi, verum etiam Ecclesiae, imo Sacrae Scripturae, loquendi modo adversatur. Nimirum, sicut apud vulgus tunc mortuus quis censetur, quando auras vitales emiserit atque omni motu destitutus apparuerit, cum vita sensitiva in motu maxime manifestetur; ita in scripturistica, aeque ac in ecclesiastica dicendi ratione, hoc implicite continetur, hominem tunc pro mortuo haberi, quando ab aëre, tamquam spiritu, ducendo, et a vitali motu edendo, quieverit. Sic, ut unum adducamus exemplum, non aliter Domini Nostri Iesu Christi mors ab Evangelistis designatur, nisi per hoc verbum, *expiravit*, ut habent S. Marcus [1] et S. Lucas [2], vel *emisit* aut *tradidit spiritum*, ut ponunt respective S. Matthaeus [3] et S. Ioannes [4]. Non aliter quoque momentum transitus animae designat Ecclesia, dum in *Ordine commendationis animae*, ait [5]: *Cum vero tempus expirandi institerit, tunc maxime... orationi instandum est;* et postea [6]: *Egressa anima de corpore, statim dicatur*, etc.; ubi evidenter insinuat Ecclesia, mortis momentum, ordinarie loquendo, id est in iis qui ex contracto morbo decedunt, illudmet esse, quod communiter reputatur, dum videlicet halitus omnisque vitalis motus in moribundo deficere videtur.

7. — **Notandum.** — Ad maiorem huius rei intelligentiam, iuvat advertere nomen hoc, *spiritus*, ad duo significanda adhiberi, scilicet, halitum materialem, quo vita corporis fovetur et conservatur, et animam rationalem quae corpus informat. Porro, ut ad praedictum scripturisticum exemplum revertamur, nomen *spiritus*, ad animam quidem formaliter designandam antea adhibitum a Domino nostro fuerat, cum dixit [7]: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;* attamen, hoc non of-

1. XV, 37. — 2. XXIII, 46. — 3. XXVII, 50. — 4. XIX, 30. — 5. Tit. V, cap. VIII, n. 1. — 6. Ibid., n. 2. — 7. Luc., XXIII, 46.

ficit quominus haec duo significata, halitus scilicet materialis et anima rationalis, cum aliquis homo dicitur spiritum emisisse, simul componantur, non solum in mente vulgi sed etiam in mente Evangelistae, puta, cum de Iesu dicit quod *emisit spiritum*, uti patet ex evidenti connexione quam S. Lucas ponit inter emissionem animae et expirationem Iesu : sic enim legitur [1] : *Et clamans voce magna, Iesus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum : et haec dicens, expiravit.*

8. — **Organisatio biologica.** — Ulterius, cum sententiae, quam discutimus, patroni huic potissime innitantur principio, scilicet sufficere, ad servandam praesentiam animae in corpore, minimum organisationis biologicae gradum, ita ut anima sensim sine sensu intus recedat, quasi ad ultimum vallum vel aggerem confugiens, unde a corpore non discedit, nisi cum supremum hoc munimen dissolutione fuerit expugnatum, — sedulo inquirendum est, utrum quoties expirare quis cernitur, toties omnis talis organismus dissolvi censendus sit, adeo ut vivat adhuc homo, vel postquam mors apparens subintraverit.

9. — **Distinctio inter morbos lethales repentinos et diuturnos.** — Porro, si talis diminutus organismus censeri rationabiliter potest, in repentinis lethalibus morbis, perdurare, qualis ab anima rationali possit informari, nefas tamen est id in omnibus mortis generibus universaliter dici. Enimvero, in subitis morbis lethalibus, sicut cum quis apoplexia corripitur, deficiente tempore necessario pro actione perfecte dissolutiva organismi, potest quidem sustineri animam non statim evolare. At res certe non ita coniici prudenter valet, quando agitur de diuturna infirmitate, quae organismum ita perruperit, ut potius, si ita liceret, edicendum foret animam corpus reliquisse, vel antequam datus fuerit ultimus anhelitus.

1. Loc. cit.

Ubi notandum est, ad praedicti organismi dissolutionem habendam, non necesse esse ut ille totaliter perrumpatur, sed sufficere ut non amplius vivificetur sanguine, in quo vita est: *anima enim omnis carnis in sanguine est* [1].

10. — Anima rationalis nequit informare nisi corpus convenienter dispositum. — Ubi recolendum venit, quod abunde alibi tradidimus [2], scilicet, non qualemcumque materiam aptam natam esse informari ab anima rationali, sed talem tantummodo quae sit tam excelsae formae suscipiendae capax: unde ediximus non esse recedendum a sententia Aristotelis et S. Thomae, animam videlicet rationalem non statim ab initio conceptionis infundi corpori, sed solummodo, cum hoc fuerit sufficienter organizatum. Quae cum ita sint, dicendum potius foret, in exitu animae a corpore, inversum ordinem esse observandum, ab ordine qui in eius ingressu tenetur: scilicet, sicut anima prius vegetativa informat embrionem, deinde anima sensitiva, et tandem anima rationalis; ita prius dicenda foret discedere anima rationalis, deinde anima sensitiva et vegetativa, nisi istae animae, sensitiva scilicet et vegetativa, virtualiter clauderentur in una anima rationali, qua recedente, et illae recedunt, locum dantes formae cadavericae [3]. At nihil obstat quominus, recedente iam anima rationali, remaneat in corpore impressio quaedam virium sensitivarum et vegetativarum, quae ex radice quidem animae rationalis promanabant, licet subiectarentur in composito, et quae discessioni animae rationalis quodammodo superviventes, originem dant phaenomenis correspondentibus motibus ordinis, tum sensitivi, tum vegetativi.

11. — In morbis diuturnis anima in corpore non perdurat post mortem apparentem. — Quae cum ita

1. Levit., XVII, 14. — 2. Tract. de prima Hominis formatione, Append. ad Quaest. XC. — 3. Cf. L'opera dei VI giorni, Vol. II, p. 138.

sint, iam nobis edicendum videtur, ubi agatur de morbis diuturnis, ex quibus videlicet organismus cerebri et cordis potuit citius dissolvi, mortem realem tempore vix aut ne vix quidem distingui a morte apparente: immo, si quid coniectandum foret, potius, uti iam innuimus, decerni deberet illam interdum praecedere signa ordinaria mortis, quae sunt cessatio respirationis et motus, nisi tutius esset stare praxi communi, cui et sensus fidelium et Ritualis Romanus normam praescripsisse videntur.

Quidquid tamen hac in re statui velit, cavendum nobis est ne iis assentiamur, qui dicunt solummodo dum corruptio iam insederit, certum de morte iudicium posse proferri: esto enim corruptio revera certum sit indicium mortem iam advenisse, alia tamen sunt signa quae idipsum evincunt: et profecto dicendi sunt illi sacerdotes non recte se gerere, qui praefracte decernunt, opportunum semper tempus esse ad sacramenta valide conferenda, usquedum corruptio non apparuerit.

12. — **Quaenam inconvenientia sequantur ex sententia quam impugnamus.** — Quam vero periculosa sit sententia quam impugnamus, inde apparet, primo, quod cum temporis intervallum, quod intercedere supponitur inter mortem apparentem et mortem realem, non uniformiter ab omnibus assignetur, hinc multa hac in re ambiguitas, multa fluctuatio habeatur necesse est, ex quo admiratio fidelibus non parva, aliis longius tempus, aliis brevius, assignantibus. Praeterea, oppportune notabitur, per sententiam, quam examini modo subiicimus, haud parvum ecclesiasticae disciplinae vulnus infligi. Neminem quippe latet, hanc esse praesentis aevi miserandam conditionem, ut frigescente caritate, apud multos iam invaluerit mos sacerdotem a moribundi lectulo arcendi, usquedum sensuum usum amiserit, ne, ut aiunt, adspectus ministri Dei animum aegroti nimium commoveat atque mortem ei subinferat. Multos etiam tenet, quoties de sacra-

mentis parentibus vel coniunctis administrandis agitur, damnabilis valde socordia : cum eorum animus circa temporalia remedia praestanda videatur unice sollicitus, caelestibus penitus neglectis. Porro, quis non viderit praedictum mundanum timorem, vel etiam animi socordiam plurimum confoveri, simul ac apud vulgus generalis invaluerit sententia, hominem apparenter mortuum adhuc semper per aliquod tempus revera vivere, ac proinde posse omnes indiscriminatim homines Ecclesiae sacramentis refici, vel postquam ultimum emiserint spiritum?

13. — Conclusio. — Quae cum ita sint, dicenda videtur sententia de distinctione mortis realis a morte apparente, licet in morbis lethalibus repentinis sustineri possit, in sua tamen generalitate proposita, prout omne mortis genus comprehendere praesumit, primo quidem novitatem sapere et sufficienti fundamento destitui; deinde, cum recepto communi hominum sensu pugnare; praeterea non satis cum philosophiae placitis cohaerere; demum ostium plurimis iisque gravibus inconvenientibus patens reserare.

Quae cum ita sint, non satis probata videtur huiusmodi sententia, ut absque dubietate in sua generalitate possit doceri; quinimmo, pastores recolere oportet, munus esse suum, si quando hominem recens, ut apparet, e vivis ereptum, existimaverint absolutione vel extrema unctione adhuc communiri posse, gravem sibi incumbere obligationem adstantes commonendi, id se conditionate fecisse, scilicet, si ille vivat; eosdem vero adstantes curare debent, et pro se et pro sibi coniunctis aut proximis, ut moribundi sacramenta, dum adhuc vita frui videntur, percipiant: secus se exponunt periculo sine sacramentis e vita exeundi.

QUAESTIO SEXTA
(LXV)

DE NUMERO SACRAMENTORUM

Prologus.

1. — **Divinae pietatis abundantia.** — Cum, iuxta praestitutum ordinem, accedamus modo ad rationem reddendam septenarii sacramentorum numeri, non abs re erit in antecessum advertere, hanc inde nobis utilitatem provenire, ut cum intellexerimus *plura salutis ac beatae vitae adiumenta nobis divinitus parata esse,* occasionem inde accipiamus, *omnes animi vires ad laudandam et praedicandam Dei erga nos singularem beneficentiam* convertendi [1]. Magna quidem iam fuisset Dei dignatio, si unum alterumve sacramentum in bonum animarum nostrarum instituisset; at certe nequit mens non obstupescere, cum viderit eum tam abunde nostrae miseriae succurrisse, ut nulla sit vitae necessitas, cui uno alterove modo divina benignitas per sacramenta non opituletur.

2. — **Novatorum impugnationes.** — Porro, cum venerabilis tot saeculorum traditio septenarium sacramentorum numerum unanimiter agnoverit, novatores tamen saeculi decimi sexti, cum adorti semel essent expugnare dogma catholicum, in hunc quoque sacratissimum numerum arma sua converterunt; quam provinciam, sicut aliam quamlibet, fumantibus excidiis squallidam devastatamque reliquerunt. Sicut enim latrones in nundinis optime quidem conveniunt, cum ad depraedandum em-

1. Cat. Rom., P. II, C. I, n. 19.

ptores agitur, dissentiunt tamen simul ac ad dividenda spolia devenitur; ita reformatores illi, unanimi quidem consensu septenarium sacramentorum numerum ab Ecclesia agnitum et proclamatum impugnarunt, licet in recensendis, quae admittenda forent sacramenta, plurimum inter se dissenserint.

Equidem, cum in eorum systemate, iustificatio nihil aliud significet, nisi immunitatem, per fidem in divinas promissiones, a poena peccato debita, iam ipsis pronum fuit ea vel penitus tollere, si quidem cum Calvino tenerent fidem esse prorsus inamissibilem, cum tunc non sit opus fidem confirmare vel excitare, quae nec minui nec amitti queat; vel eorum numerum minuere, si cum Zwinglio sacramenta dicerent instituta ad certiorem faciendam Ecclesiam de fide quam quis habeat: quo casu, unum vel alterum sacramentum sufficere dicendum foret, an fidem hanc propalandam. — Contra quos erit impraesentiarum catholica doctrina vindicanda.

3. — **Ordo quaestionis.** — Ut autem quaestio de sacramentorum numero rite absolvatur, inquirendum primo erit de isto numero in seipso considerato (1-3), et secundo, de eodem relate ad finem sacramentorum, qui est salus hominis aeterna (4). - In seipso autem sacramentorum numerus considerari potest, absolute (1-2), et comparative, scilicet, ea comparando inter se secundum ordinem dignitatis (3). Demum circa numerum sacramentorum in seipso absolute consideratum, inquirendum veniet, primo, qualis iste sit (1), et secundo, quo ordine distribuatur (2).

De sacramentorum numero inquirendum est

- in seipso
  - absolute, ut sciatur
    - qualis sit (1)
    - quo ordine distribuatur (2)
  - comparative (3)
- relate ad finem sacramentorum (4)

Hinc quatuor hic inquiruntur.
Primo. Utrum sint septem sacramenta.
Secundo. De ordine eorum ad invicem.
Tertio. De comparatione eorum.
Quarto. Utrum omnia sint de necessitate salutis.

ARTICULUS I. — *Utrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiae.*

1. — Divina virtus pluribus instrumentis utitur. — Quemadmodum peritissimus quisque artifex pluribus artis suae instrumentis utitur secundum congruentiam operum perficiendorum, sic divina sapientia mundum volens ad vitam gratiae renovare, plura instituit salutifera sacramenta, quibus ad omnes cuiusque sexus, aetatis et conditionis homines, vivifica Salvatoris gratia pertingeret. Una quippe est divina virtus, una quoque Christi Domini passio, secundum illud [1]: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos;* ideoque omnis in uno Deo et Christo nostra salus posita est; congruum tamen quam maxime fuit, ut per diversa sacramenta, quasi per totidem effi-

1. Hebr., X, 14.

cacissima instrumenta, tam grande, tamque ingeniosum negotium perficeretur, quo splendidiori luce ars divina micaret [1].

2. — **Errores.** — Porro, licet prisci sectae protestanticae auctores, in assignando sacramentorum numero quem, secum ipsi pugnantes, retinere constituerant, magnam in initio exhibuerint animi fluctuationem, huc tamen finali exitu devenisse deprehenduntur, ut duo tantum admitterent sacramenta, baptismum videlicet et coenam: quod et variae religionum formae, quae tanquam numerosa soboles ex protestantismo promanarunt, ut plurimum retinuerunt.

Hunc quoque binarium numerum hodierni rigidiores protestantes ecclesiae lutheranae et anglicanae [2] communiter admittunt; quocirca, qui ex illis agnoscunt matrimonium et ordinem tanquam divinitus instituta, in eis tamen sacramenti rationem deesse confitentur. Contra quos acriter pugnant ritualistae et quotquot pertinent ad illam protestantismi formam quae ad catholicam Ecclesiam propius accedit [3]; quorum plures septenarium traditionalem numerum ultro suscipiunt.

Quidquid hoc sit, ecclesiae anglicanae fides sequenti articulo continetur [4]: *Duo a Christo Domino nostro in Evangelio instituta sunt sacramenta, scilicet Baptismus et Coena Domini. Quinque illa vulgo nominata sacramenta, scilicet, Confirmatio, Poenitentia, Ordo, Matrimonium et Extrema Unctio, pro Sacramentis Evangelicis habenda non sunt, ut quae partim a prava Apostolorum imitatione profluxerunt, partim vitae status sunt in Scripturis quidem probati, sed sacramentorum eamdem cum Baptismo et Coena Domini ra-*

1. Ad 1um. — 2. Hi vulgo anglice dicuntur constituere ecclesiam inferiorem, Low Church. — 3. Pertinere hi dicuntur ad ecclesiam altiorem, High Church. — 4. The thirty-nine Articles of the Church of England, art. XXV.

tionem non habentes: ut quae signum aliquod visibile seu caeremoniam a Deo institutam non habeant [1].

3. — Modernistica positio. — Nec magis sincerum est quod a modernistis, praeeunte Alfrido Loisy, decernitur. Hic quippe infelicissimus vir, primo quidem tradit Ecclesiam primitivam duo tantum sacramenta agnovisse, nempe baptismum, cui adnexa erat confirmatio, et eucharistiam; numero secundariorum sacramentorum indeterminato manente [2]. Cuius quidem audacis assertionis documentum nullum historicum ille profert; videtur tamen ad hoc ponendum eo inductus, quod apud priscos scriptores illa potissime duo sacramenta recenseantur; non advertens rationes haud deesse easque graves, cur de aliis sacramentis mentionem raro tantum facere illi debuerint. Nimirum, nec de poenitentia, qua privatim quis apud sacerdotem peccata confitetur, extrema unctione, qua pariter decumbens privatim reficitur, nec de ordine qui ad solos clericos spectat, nec de matrimonio, quod ordinem domesticum non transcendit, erat eis sermo instituendus, sicut de aliis sacramentis, quae solemni ritu administrari solebant.

Sed nec propius ad verum accedit levissimus auctor cum, evolutionismi principiis, quibus imbutum se prodit,

1. Renuunt tamen hodierni Articulorum commentatores caeca fide huic articulo adhaere: sic quippe scribit Edgar C. S. Gibson, D. D. (*The thirty-nine Articles*, etc., London, 1902, pp. 603, 604): *It cannot be said that the account given in this paragraph of the five rites is quite exact... It remains, then, that the description is somewhat carelessly drawn, and that one of the five rites,* (Confirmation), *is included in it.* — 2. *En ce qui concerne leur origine, il en est des sacrements ainsi que de l'Eglise et du dogme, qui procèdent de Jésus et de l'Evangile comme des realités vivantes, non comme des institutions expressément définies. C'est seulement à partir du XII*e *siècle que la tradition occidentale est fixée sur leur nombre. L'Eglise primitive n'en connaissait que deux principaux, le baptême, auquel était associée la confirmation, et l'eucharistie: le nombre des sacrements secondaires était indéterminé* A. Loisy L'Evangile et l'Eglise, p. 231 1a ed.

invocatis, nova testatur pedetentim sacramenta, novis exortis necessitatibus, instituta erupisse; unde concludit solummodo labente saeculo decimosecundo, traditionem in Occidente immutatam fixamque mansisse circa sacramentorum numerum [1], quod iterum inscitiae argumento in ipso est, cum ex sola documentorum carentia minime liceat rem tam gravem ac tot saeculorum testimoniis agnitam denegare. — Igitur, contra negantes septenarium sacramentorum numerum, sequentem statuimus

4. — PROP. — **Septem sunt, nec plura nec pauciora, novae Legis sacramenta.**

5. — **Auctoritates de fide.** — Haec propositio, quae proprie *ad fidem* pertinet, ita definita invenitur in Concilio Florentino [2]: *Novae Legis septem sunt sacramenta: videlicet, baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium; quae multum a sacramentis differunt antiquae legis.* Quam definitionem suscipit et explicat Concilium Tridentinum [3]: *Si quis dixerit, sacramenta novae Legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino Nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet, baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, A. S.* — Scripturae auctoritates, partim superius recitatae sunt [4] et partim abundantius ponentur in singulis respective locis.

6. — **Patrum traditio.** — Porro, quod septenarius sacramentorum numerus sit in traditione consecratus, imprimis patet ex hoc quod, etsi Patres omnia septem

1. Op. cit, p. 194. — 2. Decreto pro Armenis. — 3. Sess VII, can. 1. — 4. Quaest. LXII, art. 4, n. 6, p. 104, seq.

simul sacramenta commemorare non consueverint, id non postulante eorum scopo in scribendo, imo repugnante interdum arcani disciplina[1], nullum tamen est sacramentum quod, data occasione, unus vel alter illorum nominatim non commemoret.

Ex quibus Patribus duos hic recensebimus, Tertullianum scilicet et S. Augustinum, eo quod inter potiores traditionis testes isti connumerantur: et quidem ille ante, hic post Nicaenum concilium: qui ambo omnia sacramenta, licet non uno loco, expresse commemorant. De singulis autem sacramentis ampliora suo loco proferentur.

Igitur Tertullianus, in libro *de Praescriptionibus*[2] meminit tinctionis, id est *baptismi;* expiationis delictorum, id est *poenitentiae;* signationis in frontibus, id est *confirmationis;* oblationis panis, id est *eucharistiae;* summi pontificatus, seu sacerdotii, sub quo alii *ordines* comprehenduntur; nuptiarum, id est *matrimonii;* et[3] curationis aegrotorum, id est *extremae unctionis.* In libro etiam *de Poenitentia*[4] meminit *poenitentiae;* et in libro secundo *ad uxorem*[5] meminit *matrimonii.*

S. Augustinus autem, in Epistola centesima decima octava, nominat *baptismum* et *eucharistiam;* in libro secundo contra litteras Petiliani[6], loquitur de chrismate, quod est materia *confirmationis;* in libro secundo contra epistolam Parmeniani[7] nominat *ordinationem;* in enarratione in Psalmum centesimum quadragesimum sextum[8] recenset *poenitentiam;* in epistola centesima decima nona[9], verba facit de oleo, quod est materia *extremae*

1. Cf. supra, pp. 193, 194. — Ad rem nostram omnino faciunt sequentia verba S. Augustini: *Quid est quod occultum est, et non publicum in Ecclesia? Sacramentum baptismi, sacramentum Eucharistiae. Opera enim nostra bona vident et pagani, sacramenta vero occultantur illis.* Enarrat. in Ps. CIII. Sermo I, n. 14, t. IV, col. 1140. — 2. c. 40. — 3. c. 41. — 4. cc. 8-10. — 5. cc. 7-9. — 6. c. 104. — 7. c. 13. — 8. nn. 5-8. — 9. c. 7.

unctionis; demum, in libro primo de nuptiis et concupiscentia [1], nominat sacramentum *matrimonii* [2].

7. — **Adnotanda circa Patrum scripta.** — Porro, hic notandum venit, duos istos sacros scriptores, Tertullianum videlicet et S. Augustinum, non ex proposito, sed solum prout scribendi necessitas postulabat, septem ista sacramenta recensuisse; nec aliter sibi procedendum reputabant, cum res ad theologiam pertinentes in systema scientificum nondum fuissent redactae, sed illi pro nacta occasione scriptitarent.

Pariter mirandum non est, si alii quoque Patres, de uno alterove tantummodo sacramento sermonem instituerint; cum non ex professo, sed attento speciali scopo, quem sibi in scribendo praefixerant, de eisdem sacramentis loquerentur. Sic, quod auctor libri *de sacramentis* [3], non de omnibus sacramentis pertractet, hoc ideo est, quia sibi proposuerat agere tantummodo de illis rebus, de quibus recens baptizati erant instruendi; quod intendit etiam S. Cyrillus Hierosolymitanus in suis Catechesibus; S. Iustinus martyr autem, cum ad gentiles sermonem dirigeret, ea solum sacramenta recensere debuit, de quibus illi possent convenienter instrui.

Demum opportune recoletur, penes Patres, frequentius de baptismo, de confirmatione, de eucharistia et de ordine mentionem recurrere, eo quod ista sacramenta consecrantia sint, ceteris tribus, quae proprie medicinalia sunt, discreto pressis silentio. Hoc modo, auctor libri *de Ecclesiastica Hierarchia*, cum ex professo ageret de actibus hierarchicis, illa tantum sacramenta recenset, quae cum quadam consecratione ministrantur; obiter tamen meminit poenitentiae.

1. c. 18, 214. — 2. 6. Quomodo septem sacramenta penes S. Augustinum sit distinctim reperire, vide etiam PERRONE, tr. de Sacramentis in genere, c. I, resp. ad 2m diff. — 3. Inter opp. S. Ambrosii.

8. — **Argumentum ex praescriptione.** — Sed ne quis reputet numerum sacramentorum septenario maiorem in primitiva Ecclesia viguisse, aut utcumque fluctuationi subiectum fuisse, vetat ratiocinatio quae ex praescriptione vocatur, cuius legem ita exprimit S. Vincentius Lirinensis [1]: *In ipsa item catholica Ecclesia, magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarant, quod omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universalitatem, antiquitatem, consensionem.* Cui consonat illud S. Augustini [2]: *Quod universa tenet Ecclesia, nec a conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.*

Iamvero, certum et compertum est, saeculo iam decimo secundo, vel certe decimo tertio, septenarium numerum sacramentorum, tanquam omnino fixum, retentum fuisse in Ecclesia, tam latina quam graeca. Sic quippe, ut pauca tantum tangamus, in notissima fidei professione, ab Innocentio III Durando de Osca et eius sociis waldensibus praescripta [3], clare et absque ulla haesitatione septem sacramenta recensentur [4], quemadmodum a Doctoribus scholasticis illius aetatis generaliter fieri videmus, perinde ac si doctrina haec communiter apud omnes esset recepta. Idipsum videre est penes Graecos, testibus eorum perantiquis libris liturgicis, in quibus omnes nostri ritus sacramentales exhibentur, teste quoque professione fidei ab imperatore Michaele Palaeologo suorum nomine subscripta, et B. Gregorio X in Concilio Lugdunensi II oblata (A. D. 1274), in qua omnia septem sacramenta explicite recensentur [5].

Hoc posito, ita argumentamur. Dato quod doctrina de

1. Commonit., n. 3. — 2. L. IV contra Donatistas, c. 24. — 3. 18 Dec. 1208. — 4. Denz.-B., n. 424. — 5. Apud Denz.-B. n. 465.

septem sacramentis per corruptionem antiquae fidei inducta fuisset, hoc aut evenisset subitanea mutatione, aut sensim sine sensu et quasi furtim introductum fuisset. — Atqui primum admitti nequit: non enim potuisset tanta fidei mutatio contingere, quin de se aliquod in historia vestigium reliquisset, maxime cum ad totam Ecclesiam catholicam res haec pertineret. Sed nemo ullus assignare unquam valuit huius suppositae innovationis auctorem, locum tempusve, et hoc quidem in ulla terrarum parte, sive in Occidente, sive in Oriente. — Alterum pariter non sustinetur: sicut enim videmus nunc, oculatissimos Ecclesiae pastores, mox ac aliquod innovationis vestigium apparuerit, fortiter reclamare, ita pariter debuissent suppositae corruptioni obstare, maxime cum de re gravissima ageretur, cum quotidiana vita christiana intime consociata. Porro, nil tale unquam auditum est: ergo fas est concludere septenarium sacramentorum numerum ab apostolica descendere traditione.

Accedit Ecclesias orientales, vel illas quae ab Ecclesia Romana separatae existunt, iam inde a saeculo decimo secundo vel tertio, ut diximus, septenarium numerum explicite confessas fuisse. Atqui moraliter impossibile est, schismaticos aut haereticos orientales, quos omnes norunt, postquam iam a Sede Romana discesserant, latinis fuisse infensissimos, ab iisdem latinis doctrinam de septenario numero sacramentorum hausisse; unde non restat nisi ut eam acceperint ex fonte schismate et haeresibus anteriori. Porro, iam inde a saeculo quinto, quaedam ecclesiae orientales ab unitatis centro erant divulsae: illa ergo epoca iam vigebat in Ecclesia fides de septem sacramentis a Christo institutis; aliunde, cum priscis illis saeculis, Ecclesia antiquitatis tenacissimam sese exhibuerit, non est censendum eam tunc novum et inauditum dogma de re tanti momenti, qualia sunt sacramenta, suscipere potuisse. Restat ergo septenarium sa-

cramentorum numerum vel tacito antiquitatis suffragio fulciri [1].

9. — **Scholion**. — Conati sunt olim nonnulli, e protestantium castris, evincere septenarium sacramentorum numerum a Graecorum fide alienum esse reputandum, argumento desumpto ex professione fidei quam edidit Cyrillus Lucaris, Patriarcha Constantinopolitanus, in qua ille testatur [2], *Graecorum perpetuam et constantem esse doctrinam, duo tantum sacramenta, baptismum et eucharistiam, a supremo legislatore Christo sancita.* — At Cyrillum hunc Ecclesiae graecae fidem minime repraesentare demonstrant, tum mala eius vita, tum huius Ecclesiae aperta confessio. Notum enim est, hominem hunc, natum a. D. 1572, in insula Candia, protestantium Germaniae commercio, ad illorum errores suscipiendos inductum, atque pecuniae vi adlectum fuisse, ad eosdem penes Graecos evulgandos, quod maxime praestitit, postquam Patriarcha Constantinopolitanus, a. D. 1621, renunciatus fuit. Ob perniciosos autem errores, iterum iterumque in exilium relegatus, tandem strangulo vitam finivit, a. D. 1638. Falsa eius dogmata primo quidem a Cyrillo Bereensi, eius successore, in concilio eodem anno damnata sunt, tum in quadam Synodo habita anno 1642 proscripta; tandem, in celebri concilio Hierosolymitano 1672, anathemate perculsa, cum praefatus Cyrillus Lucaris dicitur per mendacium asseruisse *duo tantum a Christo* (sacramenta) *in Evangelio fuisse tradita, baptismum scilicet et Eucharistiam.*

1. Censent plures divinae Comoediae commentatores, figuram septem sacramentorum reperiri in septem illis candelabris aureis quae, sub forma septem splendentium arborum, fingit Alighierius sibi obviam fieri, dum mystici Ecclesiae currus progressum, in Paradiso terrestri, sublimissima arte describit (Purg., Cant. XXIX, 43):

Poco più oltre, sette alberi d'oro
Falsava nel parere il lungo tratto
Del mezzo, ch'era ancor tra noi e loro.

2. Art. XV.

Quocirca honesti viri protestantici, illius impostoris fraude detecta, ipsamet rei veritate coacti, eius testimonio ultro iamdudum valedixerunt.

10. — Ostenditur convenientia numeri septenarii sacramentorum. — His positis, periucundum est S. Thomam prosequi, dum huius septenarii numeri, non quidem necessitatem, sicut calumniatus est Chemnitius, sed convenientiam, demonstrat. Quae quidem convenientia ex duplici potest capite demonstrari, secundum quod sacramenta ad duo ordinantur: scilicet, primo, ad perficiendum hominem in iis quae pertinent ad cultum Dei, secundum religionem christianae vitae; secundo, ad remedium contra defectum peccati.

11. — I. — Ex hoc quod sacramenta pertinent ad cultum Dei. — Quod ad primum attinet, sciendum est vitam spiritualem conformitatem aliquam habere ad vitam corporalem, sicut et cetera corporalia conformitatem quamdam habent cum spiritualibus: videndum est ergo, primo, quot et quae sint, in quibus homo perficitur quantum ad vitam corporalem.

Porro, in vita corporali potest quis perfici dupliciter: uno modo, quantum ad personam propriam, alio modo, per respectum ad totam communitatem societatis in qua vivit: est enim homo naturaliter animal sociabile. Rursus, respectu propriae personae, perficitur homo in vita corporali dupliciter: uno modo per se, scilicet acquirendo aliquam vitae perfectionem; alio modo per accidens, removendo impedimenta vitae, puta aegritudines, vel aliquid huiusmodi.

Iamvero, vita corporalis perficitur per se tripliciter: primo, per generationem, per quam homo incipit esse et vivere; secundo, per augmentum, quo quis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem; tertio, per nutritionem, qua conservatur in homine vita et virtus. Et haec

quidem sufficerent homini, si haberet corporaliter vitam impassibilem. Sed quia interdum incurrit corporalem infirmitatem, ideo necessaria est ei curatio; quae quidem est duplex: una, qua sanitas restituitur, puta, medicina; alia, qua valetudo pristina restauratur per convenientem dietam et congruum exercitium.

In ordine autem ad totam communitatem, perficitur homo dupliciter: uno modo, per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem et exercendi actus publicos, puta cum sit dux, vel iudex: alio modo, quantum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium, ut est naturae officium.

Septem igitur sunt, quibus homo perficitur in vita corporali: tria quidem respectu propriae personae per se, et sunt generatio, augmentum et cibus; duo autem per accidens, quae sunt restitutivum sanitatis et restitutivum valetudinis; demum duo respectu multitudinis, scilicet potestas regendi alios et propagatio.

Igitur, ad horum similitudinem septem quoque sunt requisita ad perficiendum hominem in vita spirituali. Perficitur enim homo in vita spirituali respectu propriae personae per se tripliciter. Primo, acquirendo esse vitae spiritualis, et hoc fit per *baptismum,* qui ponitur loco generationis: est enim baptismus spiritualis regeneratio, secundum illud [1]: *Per lavacrum regenerationis,* etc. Secundo, acquirendo augmentum et virtutem vitae spiritualis: et hoc fit per sacramentum *confirmationis,* in quo datur Spiritus Sanctus ad robur; unde dicitur discipulis iam baptizatis [2]: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Tertio, per nutritionem, qua conservatur in homine vita et virtus spiritualis: et hoc fit per *Eucharistiam;* unde dicitur [3]: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

1. Tit. III, 5. — 2. Luc., XXIV, 49. — 3. Io., VI, 54.

Et haec quidem tria sufficerent homini ad perfectionem sui ipsius in vita spirituali, si immunis esset ab infirmitate spirituali, quae est peccatum; sed quia in hac vita potest homo per peccatum spiritualiter infirmari, propterea duo alia adhuc ei necessaria prostant: unum per quod sanetur, et hoc est sacramentum *poenitentiae,* secundum illud [1]: *Sana animam meam, quia peccavi tibi;* alterum per quod valetudo pristina recuperari possit, et hoc fit per *extremam unctionem,* quae removet reliquias peccatorum et hominem paratum reddit ad finalem gloriam; unde dicitur [2]: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.*

Denique, perficitur homo in vita spirituali per ordinem ad communitatem dupliciter: primo, per sacramentum *ordinis,* quo accipit potestatem alios spiritualiter regendi et pro eis offerendi sacrificia, secundum quod dicitur, sacerdotes offerre hostias, non solum pro se sed etiam pro populo [3]; secundo, per sacramentum *matrimonii,* per quod propagantur filii, in quibus spiritualis cultus conservetur.

En quam clare et rationabiliter simul apparet divinae Providentiae sapientia in condendis septem sacramentis, quibus Ecclesia, Christi Sponsa, fundatur, et quibus homines in Dei cultu perficiuntur. — Iuverit haec omnia sequenti schemate sub oculos lectoris exhibere.



1. Ps., XL, 5. — 2. Iac., V, 15. — 3. Heb., VII, 7.

12. — Vanae nonnullorum in scholasticos Doctores irrisiones. — Porro, mirari valde hic debemus, a quibusdam viris, etiam ecclesiasticis, hanc septenarii sacramentorum numeri assignationem derideri, dum asserunt, nescio maiorine inscitia an animi levitate, Doctores scholasticos semper in promptu habere de omni re rationem reddere, et pari facilitate rationes adinventuros fore, si, puta, numerus sacramentorum denarius esset. Hi quippe minime attendunt quod, utique si decem essent sacramenta, hunc certe numerum Deus non absque sapientissima ratione statuisset, quam proinde investigare sapientis officium esset. — Huc faciunt praeclara verba Card. Pallavicini [1]: *In verità, essendo a noi certo che Iddio è infinita sapienza, e che niuna ragione è convenevolezza, quantunque sottile e riposta, può sovvenire a noi, che non sia sovvenuta a lui; non possiamo sospicare che nell'interpretazione delle sue opere e delle sue parole ci avvenga, come forse a Plutarco, quando ne' versi di Omero rinvenne tanti scientifici sensi, a cui per avventura non pensò mai quell'autore. Senza che, i cattolici non fondano la congruenza del numero settenario dei sacramenti nell'eccellenza di questo numero in genere; ma nel vedersi che la Scrittura vecchia per ogni parte usa un tal numero nei purgamenti legali, i quali è noto ch'erano ombra e figura d'altri purgamenti più efficaci e riserbati alla Legge di grazia; or comandando che s'offerissero sette animali, or che si facessero per sette giorni, or che sette volte si aspergesse il sangue: onde era assai verisimile, che al numero della figura corrispondesse quello del figurato.*

13. — II. — Convenientia numeri septenarii in sacramentis, ex hoc quod sacramenta ordinantur contra defectus peccatorum. — Eadem convenientia numeri

1. Dell'Istoria del Conc. di Trento, l. IX, c. IV, n. 6.

septenarii in sacramentis ex hoc quoque evidenter ostenditur, quod sacramenta ordinantur in remedium contra defectus peccatorum.

Revera, septem sunt defectus quos homo spiritualiter potest pati: primus est carentia vitae spiritualis, contra quam ordinatur *baptismus;* secundus est infirmitas animi, quae in nuper natis invenitur, contra quem defectum ordinatur *confirmatio;* tertius est labilitas animi ad peccandum, contra quem ordinatur *Eucharistia;* quartus defectus est actuale peccatum post baptismum commissum, contra quem ordinatur *poenitentia;* quintus defectus provenit ex reliquiis peccatorum, quae non sunt sufficienter per poenitentiam sublatae, contra quem ordinatur *extrema unctio;* sextus defectus est dissolutio multitudinis, contra quem institutus est *ordo;* septimus defectus est personalis concupiscentia et defectus multitudinis, qui per mortem accidit, contra quod ordinatur sacramentum *matrimonii.*

14. — **Confirmatur.** — Potest et ex alio capite confirmari convenientia numeri septenarii sacramentorum, scilicet consideratione ducta ex hoc quod secundum receptam in Ecclesia traditionem, tres distinguuntur actiones hierarchicae, nempe purgatio, illuminatio et perfectio.

Et quidem, in huiusmodi actionibus hierarchicis considerantur agentes, et recipientes, et actiones. Agentes sunt ipsi ministri Ecclesiae, ad quos pertinet *ordinis* sacramentum, recipientes autem sunt illi qui ad sacramentum accedunt, qui producuntur per *matrimonium;* actiones autem sunt purgatio, illuminatio et perfectio. Sed sola purgatio non potest esse sacramentum novae Legis quod gratiam confert; sed pertinet ad quaedam sacramentalia, quae sunt catechismus et exorcismus; purgatio autem et illuminatio simul pertinent ad *baptismum;* et propter recidivum secundario pertinent ad *poenitentiam* et *extremam unctionem:* perfectio autem, quantum ad

virtutem quidem, quae est quasi perfectio formalis, pertinet ad *confirmationem;* quantum autem ad consecutionem finis, pertinet ad *Eucharistiam* [1].

15. — **Scholia.** — I. Ex hucusque traditis, manifeste apparet quomodo per septem enumerata sacramenta, sufficienter subvenitur duplici defectui peccati, scilicet culpae et poenae, et quidem attenta harum diversitate specifica, necnon diversitate proveniente ex diversis hominum statibus et habitudinibus [2].

II. Patet quoque cur, licet in veteri Lege fuerint plura numero sacramenta, scilicet propter diversitatem sacrificiorum et caeremoniarum, nihilominus, non fuerit tunc aliquod sacramentum quod corresponderet confirmationi et extremae unctioni [3]: nimirum, in sacramento confirmationis datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur; in extrema unctione autem praeparatur homo ut recipiat immediate gloriam: quorum neutrum competit veteri Testamento, in quo nondum advenerat tempus plenitudinis gratiae, et in quo nondum aditus patebat ad introitum gloriae, cum adhuc solvendum foret pretium nostrae redemptionis [4].

III. Demum quaerenti cur contra luxuriae vitium sit institutum speciale sacramentum scilicet matrimonii, cum contra alia peccata, quae graviora sunt, non sit institutum aliquod sacramentum, — responsio dari potest, hoc ideo esse, primo, quia per huiusmodi concupiscentiam non solum vitiantur personae, sed etiam natura; secundo, propter vehementiam eius, quae rationem absorbet; et ideo oportuit contra hoc malum specialiter institui aliquod remedium per sacramentum matrimonii [5]. — Pariter, advertit S. Thomas [6], contra peccatum veniale nullum sacramentum novae Legis esse directe institutum, quia ad illud

1. Ad 3m. Cf. Catech. Romanus, P. 1, c. I, nn. 19, 20, 21. — 2. Ad 2m. — 3. Ad 4m. — 4. Cf. 1 2ae, Quaest. CII, art. 5, ad 3m. — 5. Ad 5m. — 6. Ad 8m.

tollendum non requiritur gratiae infusio, sed per quaedam sacramentalia tollitur, ut puta per aquam benedictam [1].

16. — **Solvuntur obiectiones.** — I. Obiicienti, in veteri Lege, sacramenta fuisse non solum sacrificia, sed etiam oblationes et decimas, unde videretur quod etiam in nova Lege oblationes et decimae esse debeant sacramenta, cum id quod est sacrificium sit etiam sacramentum, — *respondetur,* oblationes et decimas fuisse in veteri Lege sacramenta, quia erant ordinatae non solum in subsidium ministrorum et pauperum, sed etiam ut aliquid figurarent in Lege nova eveniendum. Nunc autem non remanserunt in quantum sunt figuralia, et propterea non sunt sacramenta [2].

II. Quod interdum aliquis auctor, puta Hugo a S. Victore, aquam lustralem, cineres in capite ieiunii benedictos, cereos paschales, aliaque huiusmodi, inter sacramenta recenset, hoc ideo est, quia nomen *sacramentum* latiori sensu accipit, prout supponere etiam potest pro *sacramentalibus,* id est, in ratione significationis rei sacrae [3]. Ceterum, citatus scriptor, alibi [4], expresse docet septem esse sacramenta quae in Ecclesia ministrantur, eaque singillatim recenset.

17. — **Quaestio.** — *Cur ablutio pedum de qua apud S. Ioannem* [5] *non sit habenda tanquam sacramentum?*

Resp. Quia non est instituta in signum efficax gratiae sanctificantis, sed facta est a Christo in signum purgationis praemittendae sumptioni Eucharistiae, simulque fuit signum humilitatis Christi Domini [6]. — Obiicienti verba

1. Cum S. Thomas dicit (ad 8m): *Quidam tamen dicunt extremam unctionem contra veniale peccatum ordinari,* alludit ad sententiam S. Bonaventurae, qui revera existimavit remissionem venialium esse proprium et primarium effectum extremae unctionis. — 2. Ad. 7m. — 3. Opp., t. IV de sacram. in gen., c. 1. Venet., 1588, fol. 205. — 4. Op. de caeremoniis, sacram., offic., etc. l. I, c. 12. — 5. C. XIII. — 6. Franc. Sylv. in h. l.

Christi ad Petrum [1]: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, respondetur Christum voluisse inculcare Petro obedientiam; quam si ille detraxisset, peccasset mortaliter et excidisset ab haereditate caelesti. Pariter verba Domini [2]: *Exemplum dedi vobis*, etc. non continent praeceptum idipsum frequentandi, sed insinuationem de necessitate humilitatis et caritatis quas ad invicem exercere debemus. Quocirca nullo tempore pedum ablutio habita est in Ecclesia tanquam sacramentum proprie dictum, sed solum tanquam caeremonia ecclesiastica.

18. — Doctrina SS. Ambrosii et Bernardi. — Quod autem lotionem hanc S. Ambrosius [3] vocat mysterium et subsidium sanctificationis quae fit post baptismum, hoc ideo est, quia in ecclesia Mediolanensi ab initio tanquam caeremonia sacra observari consuevit, non quasi contulerit munditiam spiritualem vel peccatorum venialium remissionem, sed quia haec praxis nata est excellentissimas virtutes excitare, quibus peccata mundantur.

Hoc quoque sensu intelligendus est S. Bernardus, cum dicit [4]: *Ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus eius sacramentum, pedum ablutionem.* Nimirum nomen *sacramentum* accipit S. Doctor generica ratione, quatenus quilibet ritus symbolicus sacramentum potest vocitari. Et hoc quidem evincitur, primo, ex fine quem habebat S. Bernardus in hoc edendo sermone, inducendi videlicet fratres suos ad levium peccatorum confessionem; secundo, ex disciplina, tunc temporis adhuc vigente, iuxta quam graviora peccata fideles in capite Quadragesimae solebant confiteri, leviora vero, quae Quadragesimae tempore commissa fuerant, feria quinta in coena Domini purgabantur; tertio, ipsa S. Bernardi dicendi ratione, dum per caput mortalia peccata, per

1. Io., ibid., 8. — 2. Ibid., 15. — 3. L. de Myster., c. VI, n. 32. — 4. Serm. I de Coena Domini, n. 4.

pedes vero venialia intelligit; quarto demum, ex hoc quod fratres adhortatur ad quotidianam huiusmodi pedum ablutionem frequentandam, quod profecto nequit de materiali pedum lotione intelligi. Unde dici potest sanctus doctor spectasse pedum lotionem, a Domino in ultima Coena ad praxim deductam, tanquam figuram spiritualis purgationis quotidianorum peccatorum per cordis contritionem, nisi dici velit illum potius de sacramentali confessione fuisse locutum [1].

19. — Scholion. — Advertere autem lectorem volumus, hoc ipso quod ablutio pedum penes Patres non habeatur tanquam verum sacramentum, confirmari propositionem nostram, qua tenemus doctrinam de septenario sacramentorum numero derivari ab apostolica traditione: qua sane deficiente, potius haec caeremonia, quae apertissime in Scriptura commemoratur, quam, puta, confirmatio, de qua vix vestigia invenies, inter sacramenta adnumerari debuisset.

APPENDIX

RATIONES NUMERI SEPTENARII SACRAMENTORUM SECUNDUM S. BONAVENTURAM.

1. — S. Bonaventurae doctrina ad doctrinam S. Thomae relata. — Ex Dei providentia factum est, ut in media aetate, plures sacri Doctores S. Thomae Aquinati, velut

1. Cf. Card. DU PLESSIS D'ARGENTRÉ, in op. Variae disputationes theol. ad opera Mart. Grandin, Paris, 1712. Grandin iste, doctor Sorbonicus, disputationes theologicas clara methodo et puro stylo, in sex vol. scripsit, quas evulgavit praefatus d'Argentré, et ipse doctor Sorbonicus, episcopus Tullensis, qui tempus omne, quo a muneribus officii sui pastoralis vacabat, studiis theologicis dedicavit. Obiit Grandin a. D. 1691; d'Argentré vero 1740.

corona minorum stellarum circa astrum maius, suscitati fuerint ad illustrationem atque defensionem dogmatis catholici, inter quos profecto eminet S. Bonaventura, qui

....per sapientia in terra fue
Di cherubica luce uno splendore [1],

et de quo Sixtus IV, in Bulla canonizationis, ait: *Ea de divinis rebus scripsit, ut in eo Spiritus Sanctus loculus videatur*. Cum igitur veritatis revelatae expositio, quam habet Seraphicus Doctor, ut in pluribus cohaereat expositioni S. Thomae eamque quodammodo compleat, hinc iuverit hic rationibus ex S. Thoma superius adductis ad ostendendam convenientiam numeri septenarii sacramentorum, sequentes quoque valde pulcras, ex Doctore Seraphico depromptas, adiicere, quo clarius appareat mirabilis ordo divinae Providentiae in iis ordinandis, quae ad salutem humanam conferunt.

Porro, exorditur S. Bonaventura advertendo, ad perfectam curationem aegritudinis, tria concurrere: scilicet, *expulsionem aegritudinis, introductionem sanitatis* et *conservationem introductae salutis;* et ex hoc sequentes deducit considerationes [2].

2. — **Congruentia septenarii numeri ex septemplici morbo.** — « Primum igitur, quoniam ad perfectam curationem perfecta et universalis requiritur morbi expulsio, et morbus est septiformis, triplex culpabilis, scilicet culpa originalis, mortalis et venialis; et quadruplex poenalis, scilicet ignorantia, malitia, infirmitas et concupiscentia; et *non sanat oculum quod sanat calcaneum,* sicut dicit S. Hieronymus [3], hinc est, quod oportuit adhiberi contra haec septenarium medicamentum ad hunc septiformem morbum plenius expellendum, scilicet, contra

1. Parad., XI, 37. — 2. Breviloquium, P, VI, c. III, t. V, p. 267. Ad duo capita probationum hic posita alludit Angelicus in textu articuli primi, cum ait: *Quidam vero accipiunt*, etc. — 3. In Comment. in Marc., IX, 28. Inter opp. S. Hieronymi.

originalem, *baptismum;* contra mortalem, *poenitentiam;* contra venialem, *unctionem extremam;* contra ignorantiam, *ordinem;* contra malitiam, *eucharistiam;* contra infirmitatem, *confirmationem;* et contra concupiscentiam, *matrimonium,* quod eam temperat et excusat.

3. — Ex usu septem virtutum. — Rursus, quia perfecta curatio non potest esse sine restitutione integrae sanitatis; et sanitas animae integra consistit in usu septem virtutum, trium scilicet theologicarum et quatuor cardinalium: hinc est, quod ad harum usum sanum restituendum, institui oportuit septiforme sacramentum. Nam *baptismus* sanando disponit ad fidem, *confirmatio* ad spem, *eucharistia* ad caritatem, *poenitentia* ad iustitiam, *unctio extrema* ad perseverantiam, quae est fortitudinis complementum et summa, *ordo* ad prudentiam, *matrimonium* ad temperantiam conservandam, quam maxime persequitur infirmitas carnis, sed honestas remediat nuptiarum.

4. — Ex armatura septiformis gratiae. — Postremo, quoniam perfecta curatio esse non potest sine conservatione salutis introductae, et salus introducta conservari non potest in conflictu certaminis, nisi in acie Ecclesiae, quae est *terribilis ut castrorum acies ordinata* [1]; et hoc quidem fit per septiformis gratiae armaturam; hinc est, quod necesse est, septem esse sacramenta. Nam, ut haec acies sit perfecte et continue communita, cum constet ex partibus corruptilibus, indiget sacramentis *munientibus, relevantibus,* et *renovantibus:* munientibus pugnantes, relevantibus cadentes et renovantibus moriente s. Sacramentum autem muniens aut munit ingredientes et sic est baptismus; aut stantes, et sic est *confirmatio:* aut exeuntes, et sic est *extrema unctio.* Sacramentum

1. Cantic., VI, 3, 9

vero relevans, aut relevat a casu veniali, et sic est *eucharistia;* aut a mortali et sic est *poenitentia.* Sacramentum autem renovans aut renovat in esse spirituali, et sic est *ordo*, cuius est administrare sacramenta aut in esse naturali, et sic est *matrimonium*, quod quia renovat multitudinem in esse naturae, quod est omnium fundamentum, ideo primo fuit ante omnia introductum; licet propter morbum concupiscentiae annexum, et quia minime est sanctificativum, quamvis significatione sit *sacramentum magnum* [1], inter medicamenta spiritualia ultimo collocetur et locum sortiatur extremum.

5. — **Notandum.** — Unde quia *baptismus* est ingredientium. *confirmatio* pugnantium, *eucharistia* vires resumentium, *poenitentia* resurgentium, *extrema unctio* exeuntium, *ordo* novos milites introducentium, *matrimonium* novos milites praeparantium; patet ex his sufficientia et ordo medicamentorum sacramentalium et armorum ».

Articulus II. — *Utrum sacramenta convenienter ordinentur secundum modum praedictum.*

1. — **Ratio articuli.** — Cognito septenario sacramentorum numero, debet modo, iuxta praestituta, ratio investigari ordinis eorumdem, qualis in veneranda traditione, conciliorum Florentini [2] et Tridentini [3] auctoritate fulcita, recensetur: scilicet, baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium: sicque ratione huius ordinis deprehensa, clarius apparebit quam vere de divina sapientia dicatur [4]: *Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.* — Sit ergo

1. Eph., V, 32. — 2. Decr. pro Arm. D.-B., n. 695. — 3. Sess. VII, de Sacram. in gen., can. 1. D.-B., n. 844. In Professione fidei Waldensibus praescripta, Innocentius III sacramenta hoc ordine iam recitaverat, nisi quod sacramentum ordinis ultimo loco ponit. D.-B., n. 424. 426. — 4. Sap., XI, 21.

2. — PROP. — **Sacramenta convenienter ordinantur secundum modum in Conciliis Florentino et Tridentino assignatum.**

3. — **Ostenditur.** — α) **Ordo et matrimonium debent poni ultimo loco.** — Revera, cum unitas prior sit multitudine, hinc sacramenta illa, quae ordinantur ad perfectionem multitudinis, posteriora sunt sacramentis quae ordinantur ad perfectionem unius personae. Atqui ordo et matrimonium ordinantur ad perfectionem multitudinis, alia vero sacramenta ordinantur ad perfectionem singularum personarum. Ergo ordo et matrimonium posteriorem locum obtinent inter sacramenta.

4. — **Solvitur tacita difficultas.** — Obiicienti, per sacramentum ordinis aliquem accipere potestatem agendi actiones sacramentales; atqui agens prior est sua actione: ergo videretur ordinem debere praecedere et baptismum et alia sacramenta, — *respondetur,* quod ad hoc quod aliquid sit agens, praesupponitur quod sit in se perfectum; et ideo priora sunt sacramenta quibus aliquis in seipso perficitur, quam sacramentum ordinis, quo aliquis constituitur perfector aliorum [1].

5. — β) **Matrimonium ponendum est post ordinem.** — Hoc apparet ex eo quod matrimonium minus participat quam ordo de ratione spiritualis vitae, ad quam ordinantur sacramenta.

6. — **Solvitur tacita obiectio.** — Obiicienti id quod ait Apostolus [2]: *Prius quod animale, deinde quod spiritale;* atqui per matrimonium generatur homo prima generatione quae est animalis, per baptismum autem regeneratur secunda generatione quae est spiritualis; unde

1. Ad 2m. — 2. 1 Cor., XV, 46.

videretur matrimonium debere praecedere baptismum, — *respondetur*, matrimonium, secundum quod ordinatur ad animalem vitam, esse naturae officium: sed secundum quod est sacramentum, habere aliquid spiritualitatis, minimum tamen, propterea quod ultimo loco ponitur inter sacramenta [1].

7. — γ) **Baptismus, confirmatio et Eucharistia debent poni ante poenitentiam et extremam unctionem.** — Revera, ea quae ordinantur ad perfectionem alicuius personae per se, priora sunt his quae ordinantur ad perfectionem eiusdem personae per accidens. Atqui baptismus, confirmatio et Eucharistia ordinantur ad perfectionem hominis per se; poenitentia vero et extrema unctio, per accidens, id est in remedium peccati, vel contra reliquias peccati, saltem in iis qui peccati labe inficiuntur. Ergo baptismus, confirmatio et Eucharistia priora sunt poenitentia et extrema unctione.

8. — δ) **Extrema unctio est post poenitentiam enumeranda.** — Revera, extrema unctio, ordinarie loquendo [2], est consummativa poenitentiae: ideoque naturaliter post poenitentiam ponenda est. — Animadvertenti quod, inter omnia sacramenta, extrema unctio propinquior est ultimo fini beatitudinis, ideoque videretur ultimum locum sibi vindicare inter omnia sacramenta, — *respondetur* quod utique est ultima inter sacramenta, non absolute, sed inter ea sacramenta quae ordinantur ad perfectionem unius personae [3].

1. Ad 1m. — 2. Dicimus, *ordinarie loquendo*, seu supposito iam peccatum praecessisse, iuxta illud S. Iacobi (V, 15): *Et si in peccatis sit*, etc.: primarius enim huius sacramenti effectus est hominem confortare in ultima pugna et alacrem reddere ad adventum Domini exspectandum. Cf. Tr. DE B.MA VIRGINE MARIA, MATRE DEI, P. II, c. I, art. 5, n. 9, necnon tr. DE EXTREMA UNCTIONE. — 3. Ad 5m.

9. — ε) Inter tria priora sacramenta, baptismus praecedit alia duo, quem sequitur confirmatio, post quam ponitur Eucharistia. — Revera, quod baptismus primum teneat locum, manifestum est: est enim spiritualis generatio; deinde naturaliter sequitur confirmatio, quae ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; postmodum habetur Eucharistia, quae ordinatur ad perfectionem finis, qui est coniunctio cum Deo.

10. — Solvuntur difficultates. — I. Eucharistia comparatur confirmationi, sicut nutrimentum augmento. Atqui nutrimentum est causa augmenti, et consequenter prius eo. Ergo Eucharistia prior est confirmatione.

Resp. *Dist. mai.:* sicut nutrimentum quod potest praecedere vel subsequi augmentum, *conc.;* quod solum praecedit augmentum, *nego. Dist. min.:* ita quod nutrimentum etiam subsequatur augmentum ad illud perfecte conservandum, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Nutrimentum et praecedit augmentum sicut causa eius, et subsequitur augmentum, sicut conservans hominem in perfecta quantitate et virtute. Et ideo potest Eucharistia praemitti confirmationi, ut habetur in libro *de Ecclesiastica Hierarchia* [1], et potest postponi, sicut Magister facit [2].

II. Poenitentia praeparat hominem ad Eucharistiam. Atqui dispositio praecedit perfectionem. Ergo poenitentia debet praecedere Eucharistiam.

Resp. *Dist. mai.:* per accidens, *conc.;* per se, *nego. Dist. min.:* dispositio quae est per se, *conc.;* quae est per accidens, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Si poenitentia ex necessitate requireretur ut praeparatoria ad Eucharistiam, per se illam praecederet; sed revera non requiritur ex necessitate ad Eucharistiam: si quis enim esset sine peccato mortali, non indigeret poenitentia ad sumptionem Eucharistiae: unde poenitentia praeparat ad

1. Cap. 3 et 4. — 2. Dist. VII et VIII. Hic, ad 3m.

Eucharistiam ex suppositione, scilicet praesupposito peccato [1].

11. — **Schema.** — Possunt haec omnia sequenti schemate exhiberi:



Articulus III. — *Utrum sacramentum Eucharistiae sit potissimum inter sacramenta.*

1. — **Inaequalitas inter sacramenta.** — Cum omnia Deus condiderit ad suam gloriam exterius manifestandam, ideoque in diversis ordinibus et gradibus, ut sua

1. Citat hoc loco S. Thomas sequentia verba tanquam ex libro secundo Paralipomenon (caput ult.): *Tu, Domine Deus iustorum, non posuisti poenitentiam iustis;* at haec revera inveniuntur in Oratione Manassae regis Iuda, quae inter apocryphas scripturas recensetur. De sacramentorum ordine, legi potest utiliter Catechismus Romanus. P. II, c. I, n. 21.

bonitas magis reluceret, res constituerit [1], hinc in sacramentis quoque aliquam voluit esse dignitatis inaequalitatem, prout definivit concilium Tridentinum [2]: *Si quis dixerit haec septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, A. S.* — Quae cum ita sint, intentionis nostrae propositum hic est, rationem deprehendere, ob quam unum sacramentum alteri praestare dicendum sit.

2. — Duplex modus comparandi sacramenta ad invicem. — At, primo, advertendum est, comparationem inter sacramenta fieri posse, vel simpliciter, vel secundum quid. Et quidem sacramentum illud simpliciter ceteris praecellere dicitur, quod, in sua substantia, necnon in sua finalitate potissimum invenitur; quo tamen minime tollitur quominus aliud sacramentum ob aliam rationem, puta necessitatis, ministerii aut significationis, possit eminere. — His cohaerenter, dicimus

3. — PROP. I. — Simpliciter loquendo, sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta.

4. — Auctoritates. — Imprimis, constat haec veritas ex illis omnibus vocibus, quibus hoc sacramentum Ecclesia concorditer extollere non destitit; puta, cum Urbanus IV [3], de eo sequentia recitat: *O excellentissimum Sacramentum! O adorandum, venerandum, co-*

1. Sententiam hanc pulcherrime Aligherius ita expressit (Parad. I, 1, seq.):

La gloria di Colui che tutto muove
Per l'universo penetra e risplende,
In una parte più e meno altrove.

2. Sess. VII de Sacram., can. 111. — 3. Clement. l. III, tit. XVI, c. un. *Si Dominum*, ubi URBANI IV Constitutionem de festo Corporis Christi, feria V post octavam Pentecostes celebrando, inculcat.

lendum, glorificandum, praecipuis magnificandum laudibus, dignis praeconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis et sinceris mentibus retinendum ! O memoriale nobilissimum intimis commendandum praecordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reservandum in cordis utero et meditatione, ac celebratione sedula recensendum !

Similiter, in concilio Tridentino legimus [1] : *Commune hoc quidem est SS.mae Eucharistiae cum ceteris sacramentis, symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem ; verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur ; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est.* Et hac de causa huic venerabili sacramento latriae cultus, qui solo Deo debetur, rite universaliter praestatur [2]. Quocirca iubilans universalis Ecclesiae per totum mundum vox resonat : *Tantum ergo sacramentum veneremur cernui !*

5. — **Prob. rat. theol.** — I. **Ex eo quod in sacramento Eucharistiae continetur.** — Nimirum, in sacramento Eucharistiae continetur Christus substantialiter, in aliis autem sacramentis continetur quaedam virtus instrumentalis participata a Christo. Ergo sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta : semper enim id quod est per essentiam, potius est eo quod est per participationem.

6. — II. **Ex ordine sacramentorum ad invicem.** — Illud sacramentum, ad quod cetera sacramenta ordinantur ut ad finem, est inter omnia sacramenta potissimum. Atqui ad Eucharistiae sacramentum cetera sacramenta ordinantur tamquam ad finem. Ergo Eucharistiae sacra-

1. Sess. XIII, de Euch., c. 3. — 2. Ibid., c. 5.

mentum potissimum est inter omnia alia sacramenta. — *Minor prob.* Imprimis manifestum est quod sacramentum ordinis ordinatur ad Eucharistiae consecrationem. Similiter sacramentum baptismi ordinatur ad Eucharistiae receptionem; in quo etiam perficitur quis per confirmationem, ut non vereatur se subtrahere a tali sacramento. Insuper, per poenitentiam et extremam unctionem praeparatur homo ad digne sumendum corpus Christi. Matrimonium etiam, saltem sua significatione, attingit hoc sacramentum, in quantum significat coniunctionem Christi et Ecclesiae, cuius unitas per sacramentum Eucharistiae figuratur; unde et Apostolus dicit [1]: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Igitur omnia sacramenta ordinantur aliquo modo ad sacramentum Eucharistiae tamquam ad finem: ideoque Eucharistia principalitatem obtinet.

7. — **Scholion.** — Quod hic dicit S. Thomas, per extremam unctionem praeparari hominem ad digne sumendum corpus Christi, per se est accipiendum, in quantum videlicet extrema unctio, sive consideretur tanquam sanatio quaedam, sive tanquam spirituale levamen hominem disponens ad adventum Christi cum gaudio exspectandum, ordinatur ad perfectam animae cum Christo coniunctionem, quae fit per Eucharistiam. Unde licet, ob speciales rationes, Riubeat Rituale omanum postponere viaticum extremae unctioni, nihil tamen vetat quominus moribundus extrema iam unctione munitus, iterum iterumque sanctissimam Eucharistiam suscipiat, prout pium fidelium usum ferre videmus.

8. — III. **Ex ritu sacramentorum.** — Nimirum, omnia fere sacramenta, secundum usum sacrae liturgiae, consummantur in Eucharistia, ut etiam advertit auctor libri *de Ecclesiastica Hierarchia* [2], et ut patet per hoc quod

1. Eph., V, 32. — 2. C. 3.

ordinati communicant, sicut etiam baptizati, si sint adulti. Idipsum dicatur proportionaliter de ceteris sacramentis, maxime de matrimonio, cuius celebratio, apud pios fideles, solet sacrificio eucharistico solemnizari.

9. — **Comparatio diversorum sacramentorum ad invicem secundum unum aliumve respectum.** — Quod si alia sacramenta ad invicem comparentur, invenietur unum alio secundum unam aliamve rationem praecellere. Sic, puta, in via necessitatis, baptismus est potissimum sacramentorum; in via perfectionis, sacramentum ordinis; sacramentum vero confirmationis medio modo se habet; sacramenta autem poenitentiae et extremae unctionis sunt inferioris gradus a praedictis sacramentis, quia scilicet ordinantur ad perfectionem christianae vitae, non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium supervenientis defectus: inter quae tamen extrema unctio comparatur ad poenitentiam, sicut confirmatio ad baptismum; sic nempe poenitentia maioris est necessitatis, extrema unctio autem maioris perfectionis.

10. — **Corollarium.** — Ex his patet quod, quia nihil prohibet quominus aliquid sit secundum quid dignius, quod tamen non est dignius simpliciter, ideo unum vel alterum ex ceteris sacramentis quodammodo excellentius potest inveniri: sic, nimirum, baptismus, ordo, confirmatio et matrimonium, secundum aliquid, potiora sunt inter sacramenta: nimirum, baptismus, ratione necessitatis; unde dixit Christus[1]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum caelorum,* et non potest quis Eucharistiam percipere, nisi sit baptizatus[2]. — Similiter, ordo et confirmatio habent quamdam excellentiam ratione ministerii: nam per ordinem et confirmationem deputantur fideles Christi ad aliqua

1. Io., III, 5. — 2. Ad 4m.

specialia officia, quae pertinent ad officium principis, et ideo conferre huiusmodi sacramenta pertinet ad solum episcopum, qui est quasi princeps in Ecclesia: per sacramentum vero Eucharistiae non deputatur homo ad aliquod officium, sed magis hoc sacramentum est finis omnium officiorum [1]. — Denique matrimonium quamdam excellentiam sibi vindicat ratione significationis: at perperam quis ita argumentaretur, ad evincendum omnimodam excellentiam matrimonii supra Eucharistiam: Bonum commune potius est quam bonum unius, atqui matrimonium ordinatur ad bonum commune speciei humanae per viam generationis, sacramentum autem Eucharistiae ordinatur ad bonum proprium sumentis; ergo matrimonium simpliciter potius est Eucharistia: — nam matrimonium ordinatur ad commune bonum corporaliter: sed bonum commune spirituale totius Ecclesiae continetur substantialiter in ipso Eucharistiae sacramento [2].

11. — **Solvitur difficultas.** — Sacramenta quae habent maiorem virtutem sunt potiora. Atqui sacramenta imprimentia characterem, scilicet baptismus, confirmatio et ordo, maiorem habent virtutem quam sacramenta characterem non imprimentia, inter quae est Eucharistia. Ergo tria illa sacramenta potiora sunt Eucharistia.

Resp. *Dist. mai.:* maiorem virtutem in coniungendo hominem Christo, *conc.;* in participando sacerdotium Christi, *nego. Dist. min.:* sacramenta characterem imprimentia habent maiorem virtutem in hoc quod homines participare faciunt sacerdotium Christi, *conc.;* in hoc quod homines coniungunt Christo, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Character sacramentalis est quaedam participatio sacerdotii Christi: unde sacramentum quod ipsum Christum coniungit homini, est dignius sacramento quod imprimit Christi characterem et tale est praecise sacramentum sanctissimae Eucharistiae [3].

1. Ad 2m, ad litt. — 2. Ad 1m, ad litt. — 3. Ad 3m.

ARTICULUS IV. — *Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis.*

1. — **Duplex necessarium relate ad finem.** — Ad propositi quaesiti intelligentiam recolendum est, necessarium, respectu finis, de quo nunc loquimur, dici dupliciter: uno modo, sine quo non potest finis haberi, sicut cibus est necessarius vitae humanae et hoc est simpliciter necessarium ad finem; alio modo, dicitur esse necessarium id sine quo non habetur finis ita convenienter, sicut equus necessarius est ad iter: hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem, sed secundum quid, seu ad bene esse. Igitur, licet aliquid non sit necessarium primo modo, potest tamen esse necessarium secundo modo: et hoc satis est, ut non dicatur superfluum [1]. — Hoc posito, determinari hic debet quaenam sacramenta simpliciter, quaenam vero secundum quid tantum, necessaria sint.

2. — **Sacramenta novae Legis nec sunt superflua, nec tamen omnia necessaria.** — Porro, cum iam per se pateat, novae Legis sacramenta a Christo fuisse instituta ad hominum salutem procurandam, ideoque superflua non esse, pariter iam per se constare debet, non omnia sacramenta esse simpliciter necessaria ad salutem, cum de fide sit pueros salvari per solum baptismum sine aliis sacramentis, et mulieres incapaces esse sacramenti ordinis: quo faciunt verba Concilii Tridentini [2]: *Si quis dixerit, sacramenta novae Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis aut eorum voto, per solam fidem, homines a Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, A. S.* — Quae cum ita sint, statuimus

3. — PROP. I. — **Tria sacramenta necessaria sunt necessitate simpliciter ad salutem: videlicet baptismus, poenitentia et ordo.**

1. Ad 1m. — 2. Sess. VII de Sacram., in gen. can. IV.

4. — Ostenditur. — α) Quod Baptismus simpliciter et absolute necessarius sit singulari personae, clare evincitur ex hoc Domini nostri [1]: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. — β) Poenitentia quoque necessaria est singulari personae, supposito peccato mortali post baptismum, dicente pariter Christo [2]: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* — γ) Demum, sacramentum ordinis esse necessarium Ecclesiae, patet: nam, ut habetur in libro Proverbiorum [3], *ubi non est gubernator, populus corruet.*

5. — Auctoritas concilii Tridentini. — Iuverit hic verba Concilii Tridentini recitare, quibus horum trium sacramentorum necessitas inculcatur. Et primo quidem de baptismo dicitur [4]: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, A. S.* Pariter, de poenitentia dicitur [5]: *Ex institutione sacramenti poenitentiae iam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam existere.* Praeterea [6]: *Si quis negaverit confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse, iure divino, A. S.* De ordine vero legitur [7]: *Cum in novo Testamento sanctum Eucharistiae sacrificium visibile, ex Domini institutione, catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est.* Porro, sacerdotium est ordo, plures etiam ministrorum ordines sub se complectens, ut idem Concilium docet [8]. Quae cum ita de praefatis tribus sacramentis constiterint, de aliis modo dicendum est.

1. Io., III, 5. — 2. Luc., XIII, 5. — 3. XI, 14. — 4. Sess. VII, de Bapt., can. V. — 5. Sess. XIV, cap. 5. — 6. Ibid., Can. 6. — 7. Sess. XXIII, cap. 1. — 8. Ibid., can. II.

6. — PROP. II. — **Alia etiam sacramenta necessaria sunt ad salutem, non simpliciter, sed ad bene esse.**

7. — **Ostenditur.** — Veritas haec clare manifestatur ex singulorum istorum sacramentorum indole. Et primo, de Eucharistia id patet, cum per eam nutriatur vita spiritualis animae, et cor hominis in spe bonorum supernorum defigatur. Confirmatio vero perficit quodammodo baptismum, et extrema unctio poenitentiam: tandem, matrimonium Ecclesiae multitudinem per propagationem conservat. — Quod autem ista sacramenta absolute necessaria non sint, ex eodem Concilio Tridentino patet, ubi de Eucharistia loquens, ait [1]: *Sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem: siquidem, per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt.* Et rursus [2]: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, A. S.* Porro, quod dicitur de Eucharistia, quae inter sacramenta potissimum locum tenet, a fortiori de aliis sacramentis, praeter tria primo loco recensita, dicendum est.

8. — **Solvitur difficultas.** — Sicut de baptismo dicitur [3]: *Nisi quis renatus fuerit*, etc., ita de Eucharistia dicitur [4]: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Atqui baptismus est simpliciter necessarius ad salutem. Ergo et Eucharistia.

Resp. *Dist. mai:* ita quod verbum Domini de Eucharistia intelligi debeat de manducatione spirituali et non de sola sacramentali, *conc.;* de sola manducatione sacramentali, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Quod Domini nostri verbum circa sanctissimam Euchari-

1. Sess. XXI, cap. 4. — 2. Can. IV. — 3. Io., III, 5. — 4. Io., VI, 54.

stiam, debeat intelligi de spirituali manducatione et non de sola sacramentali, fuse exponit S. Augustinus [1].

9. — Scholion. — Ex dictis apparet, diversum esse iudicium proferendum de eo qui omittit percipere unum vel alterum ex iis sacramentis quae sunt simpliciter necessaria ad salutem singularis personae et de eo qui sacramenta necessaria tantummodo ad bene esse recipere praetermittit. Qui enim non curat accipere baptismum qui est de necessitate salutis, cum illum posset recipere, fit contemptor huius sacramenti, et salvari non potest; non ita autem res se habet, si quis praetermittat accipere sacramentum quod non est de necessitate salutis singularis personae: hinc, sine sacramenti contemptu, ordinem vel matrimonium homo potest nolle recipere [2]. Attamen gravis peccati labem non effugit qui, puta, sacramenta confirmationis, Eucharistiae aut extremae unctionis, ex negligentia vel socordia, tempore debito, percipere praetermittit, cum se scienter privet mediis efficacissimis ad salutem, ideoque ingratum se divinae misericordiae exhibeat, de quo proinde dicitur [3]: *Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, et disperiet tamquam aqua supervacua.*

10. — Nulla sacramenti ordinis percipiendi obligatio. — Diximus nullam esse pro singulari persona obligationem percipiendi sacramentum ordinis: licet enim hoc sacramentum necessarium sit simpliciter, tamen necessitas huiusmodi non respicit individua, sed totam communitatem, pro cuius bono ita providet Deus, ut non omittat aliquibus hominibus sinceram voluntatem suaviter et fortiter ingerere, seipsos divino servitio consecrandi [4].

1. Tract. XXVI in Io. Cf. quae de illo textu S. Ioannis: *Nisi manducaveritis*, etc., scripsimus in tr. de SS.ma Eucharistia, vol. I, Quaest. LXXV, art. 1, n. 5, p. 89. — 2. Ad 3m. — 3. Sap., XVI, 29. — 4. De harmonia sacramentorum legi potest cum fructu P. J. M. L. MONSABRÉ pulcra concio, quae est LXII, cui titulus, *L'harmonie des sacrements.*

APPENDIX

De Sacramentalibus [1].

1. — Quid sint sacramentalia. — Sacramentalia, quasi diminuta sacramenta, sunt quidam ritus ordinati ad sacramenta, vel quia observantur in sacramentorum administratione, vel quia disponunt hominem ad recipiendos effectus sacramentorum, vel quia utcumque concurrunt ad eorumdem effectus plenius percipiendos; unde ad sacramenta ordinantur tanquam dispositiones ad eadem percipienda, necnon tanquam media coadiuvantia illorum effectum. Porro, duplici modo sacramentalia concurrunt ad effectum sacramentorum: uno modo, removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias daemonum et contra peccata venialia; alio modo, idoneitatem quamdam faciendo ad sacramenti perfectionem et perceptionem, sicut consecrantur altaria et vasa propter reverentiam Eucharistiae [2]. Sacramentalia, ait Angelicus [3], se habent ut causa *disponens, vel impedimentum removens, vel aliquo modo ornans.*

2. — Ecclesiae potestas statuendi sacramentalia. — Porro, quod penes Ecclesiam sit potestas sacramentalia instituendi, ex hoc apparet, quod ipsi divinitus commissum est ius statuendi ea quae non solum ad caeremonias, sed etiam ad dispensationem sacramentorum, ut supra diximus, pertinent: sacramentalia autem huius ultimi generis

1. De sacramentalibus disseruerunt, non ita pridem, Benedictus Melata, in opusc. de *papali benedictione* (Analecta ecclesiastica, a. 1895, pp. 355, seq.), necnon Gul. Arendt, S. I., in op. de Sacramentalibus. (Ibid., a. 1898, 1899, 1900). — Sedulo animadvertendum est vix inveniri, in sacra theologia, quaestionem, quae criteriis minus certis et comprobatis pertractata fuerit: unde frustra niteretur quis hanc de sacramentalibus quaestionem argumentis, ut aiunt, extrinsecis, dirimere. — 2. Hic, art. 1, ad 6m. — 3. 4, Dist. VII, Quaest. I, art. 1, sol. 1.

sunt. Aliunde, Christus plenissimam Ecclesiae suae potestatem contulit, ordinandi ea quae ad hominis bonum conferunt, mala autem avertendi, iuxta illud [1]: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici.* Quocirca, ab antiquissimis temporibus, ut constat ex Ritualibus Latinorum et Euchologiis Graecorum, videmus Ecclesiam hac usam potestate, verbi causa, in multiplicibus benedictionibus statuendis, in exorcismis, in institutione specialium rituum, ut aquae lustralis aut panis benedicti, in ordinatione quarumdam precum, etc.

3. — **Ecclesiae doctrina de sacramentalibus.** — Ut autem tutam in nostris investigationibus normam iugiter prae oculis habeamus, praestat canones, qui in Iuris codice, de illorum α) natura, β) institutione, γ) ministro, atque δ) subiecto prostant, heic recitare.

α) Primo, de natura sacramentalium haec leguntur [2]: *Sacramentalia sunt res aut actiones, quibus Ecclesia, in aliquam sacramentorum imitationem, uti solet, ad obtinendos ex sua impetratione effectus, praesertim spirituales.* Porro, actiones quae hic nominantur, sunt consecrationes vel benedictiones, quae possunt esse aut constitutivae aut invocativae: et pro utriusque generis validitate necesse est formulam ab Ecclesia praescriptam adhibere [3].

β) Ad institutionem sacramentalium quod attinet, praeter ea quae in praecedenti canone continentur, haec habentur [4]: *Nova sacramentalia constituere, aut recepta authentice interpretari, ex eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica.*

γ) De ministro haec leguntur [5]: *Legitimus sacramentalium minister est clericus, cui ad id potestas collata sit, quique a competente auctoritate ecclesiastica non*

1. Luc. X 19. — 2. Can. 1144. — 3. Can. 1148. — 4. Can. 1145. 5. Can. 1146.

sit prohibitus eamdem exercere. Tum in sequentibus canonibus designantur ministri qui, sive pro consecrationibus et benedictionibus, sive pro exorcismis competentes existunt [1].

δ) Tandem, de subiecto sequens canon recitatur [2]: *Benedictiones, imprimis impertiendae catholicis, dari quoque possunt catechumenis, imo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis, ad obtinendum fidei lumen, vel, una cum illo, corporis sanitatem.*

4. — Quaenam sint sacramentalium genera. — Ex usu ecclesiastico et traditionis consensu, accipimus sex esse sacramentalium genera, quae hoc versiculo comprehenduntur:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens,

de quibus singillatim est dicendum.

Primo igitur loco, inter sacramentalia recensentur preces scilicet publicae, quales nempe Ecclesiae praescripto et nomine fiunt, ut, verbi gratia, rogationes, litaniae sanctorum, officium divinum, signum sanctae Crucis, orationes ad Deum fusae in ecclesia dicata [3]: quae significantur per hoc quod dicitur *orans.* Maxime autem sub hoc nomine intelligitur oratio dominicalis, cuius incomparabilis excellentia ex ipsa Domini Nostri institutione resultat, necnon pia invocatio sanctissimorum Nominum Iesu et Mariae.

Secundo, sacramentale est quaelibet sacramentalis unctio [4], quae videlicet sacramentum non sit, verbi gratia, unctio alicuius in regem, necnon aliae unctiones in consecrationibus adhibitae, ut sunt quae in consecratione ecclesiae fiunt: quae omnes veniunt sub hoc nomine, *tinctus.* Praecipue vero, sacramentale, ex hoc capite, habetur aspersio aquae benedictae, ab Ecclesia et Sanctis magnopere commendata, de qua sic loquitur Alexander

1. Can. 1147, 1151, 1153. — 2. 1149. — 3. 3, Quaest. LXXXVII, art. 3. — 4. Loco cit.

Papa [1]: *Si cinis vitulae sanguine aspersus populum sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat.* Celeber est παλίνδρομος στίκος, versus retrogradus, inscriptus in labro vasis aquae benedictae in Basilica Sanctae Sophiae Constantinopoli:

ΝΙΨΟΝΑΝΟΜΗΜΑΤΑΜΗΜΟΝΑΝΟΨΙΝ

Delicta mundes, nec faciem tantum luas.

Tertio, inter sacramentalia computantur manducatio panis benedicti, qualis est penes Graecos eulogia, aut esus panis benedicti in missa parochiali in ecclesiis Galliae, vel sumptio aliorum esculentorum, ritu ab Ecclesia instituto, benedictorum; huiusmodi etiam est potatio aquae benedictae in honorem alicuius Sancti, ut puta, S. Philippi Benitii, S. Ignatii de Loyola: haec, nimirum, per hoc nomen *edens* designantur.

Quarto, publica culparum confessio, quae fit in missa ex praescripto Ecclesiae, in communione fidelium et in officio divino, habetur quoque tanquam sacramentale, quod significatur hoc nomine *confessus.* Ad hoc quoque genus reducitur pectoris tunsio, aut cinerum impositio quae fit in capite ieiunii. Pertinet etiam ad huiusmodi sacramentale oratio dominicalis, ex qua parte Deum exoramus: *Dimitte nobis debita nostra* [2].

Quinto, eleemosynae elargitio, aliaque misericordiae opera, non quaecumque, sed quae ab Ecclesia specialiter sunt praescripta aut commendata, inter sacramentalia, sub nomine *dans,* computantur. Ad hoc genus reduci potest catechismus qui fit ad rudium institutionem, ieiunium ab Ecclesia praescriptum, necnon professio religiosa, quam graves auctores tanti dicunt esse apud Deum meriti, ut totam simul culpam et poenam, baptismatis instar, remittat.

1. De Consecrat., D. III, c. 20. — 2. S. Thom., 3, Quaest. LXXXVII, art. 3.

Sexto demuum, per hoc quod dicitur *benedicens*, intelligitur illud sacramentale quod habetur in benedictione personarum a Summo Pontifice, episcopo, aut sacerdote potestatem habente, facta; necnon in benedictione abbati aut abbatissae a Pontifice impartita; in benedictione cum Sanctissimo Sacramento; in benedictionibus quae fiunt super animalia aut super res aliquas, quales sunt pallia episcopalia, numismata, imagines cereae, quae vulgo Agnus Dei dicuntur, altaria, calices, campanae, vestes, domus nova, enses, naves, etc. Ad hoc quoque sacramentale, exorcismi ab Ecclesia instituti ad fugandos daemones, sunt reducendi [1].

5. — Quinam sint sacramentalium effectus. — Quaerenti autem quinam sint sacramentalium effectus, responderi potest, illum duplicem esse: unum, quo *bonum* promovetur, alium, quo *malum* removetur.

I. Duplex autem distinguitur bonum, scilicet *spirituale* et *temporale*. — α) Et primo quidem sacramentalia promovent bonum hominis *spirituale*, directe, primo, disponendo illius animum ad suscipiendas veritates fidei, quod fit per catechismum, imagines sacras, etc.; secundo, illum capacem faciendo ut impetret bona a Deo, quod faciunt orationes ab Ecclesia praescriptae, aut professio religiosa; aut denique illum disponendo ad receptionem alicuius sacramenti, ut sponsalia aut benedictio sacerdotis relate ad sacramentum matrimonii [2]; exorcismus relate ad baptismum; poenitentia publica relate ad poenitentiam sacramentalem; absolutio generalis, quae in Ordinibus religiosis datur, relate ad Sanctissimam Eucharistiam, etc. — Indirecte quoque sacramentalia promovent hominis bo-

1. Quod perperam ab aliquibus ordines minores inter sacramentalia computentur, dicitur in tr. DE ORDINE, Quaest. prima, art. 3, ubi docetur illos esse partes potentiales sacramenti ordinis. — 2. Supplem., Quaest. XLII, art. 1, ad 1[m]; Quaest. XLIII, art. 1, ad 6[m].

num spirituale, excitando in eo motus caritatis, quod praestant benedictiones et consecrationes rerum ad cultum divinum spectantium necnon sumptio ciborum benedictorum, et mediantibus his motibus, causando gratiam in anima. — β) Bonum autem *temporale* promovetur in homine tum directe, tum indirecte per res ad hominem pertinentes: directe, quidem, per benedictiones homini vel conferentes sanitatem, ut cum benedicuntur peregrini, vel aliud bonum conciliantes, ut victoriam, per novi militis benedictionem; indirecte, puta pacificam reddendo hominis vitam per habitationum benedictionem, copiosam segetem procurando per agrorum benedictionem, etc.

II. Malum pariter duplex distinguitur: *spirituale* nempe et *temporale*. — α) Et quidem, per sacramentalia avertitur malum *spirituale*, scilicet, primo, malum *culpae*, quod est peccatum veniale, puta, per aquam benedictam, confessionem, tunsionem pectoris; avertitur autem secundo et malum *poenae* per sacramentalia, puta per hoc quod quis praescriptam eleemosynam dat, aut imperatum ieiunium observat, aut satisfacit pro peccatis suis. — β) Malum vero *temporale* vel est in ipsis hominibus, vel in animalibus aut rebus ad hominem spectantibus. Et si quidem sit in hominibus, vel est productum per causam spiritualem, nempe per daemones, ad quos expellendos ordinantur exorcismi necnon aqua lustralis; vel est productum per causam naturalem, ut sunt morbi, ad quos depellendos speciales orationes sunt institutae. — Si autem malum temporale sit in rebus ad hominem spectantibus, aut est in animalibus quae ad utilitatem hominis deputantur, ad quod depellendum aliquae benedictiones sunt ordinatae; aut est in rebus quae in usum hominis cedunt, ut sunt arbores et plantae, domus, aut ipsa elementa aeris, aquae, etc., pro quibus habentur in Rituali Romano exorcismi aut speciales benedictiones. — Quae omnia sequenti schemate proposita facilius intelligentur.

Per sacramentalia

promovetur bonum

spirituale

directe, in ipso homine, illum disponendo ad fidem (*Catechismus, imagines sacrae fidei mysteria exprimentes, signum sanctae crucis*); aut capacem faciendo impetrationis (*orationes ab Ecclesia praescriptae, professio religiosa, processiones, oratio dominicalis, invocatio nominum Iesu et Mariae*, etc.); aut illum disponendo ad receptionem alicuius sacramenti (*sponsalia aut benedictio sacerdotis relate ad matrimonium; exorcismus relate ad baptismum; poenitentia publica relate ad poenitentiam sacramentalem*)

indirecte, per res ad hominem spectantes (*benedictio crucum, numismatum, campanarum, rosariorum, cingulorum, scapularium, organi, consecratio calicum, altarium, eulogiae, benedictio SS.mi Sacramenti*)

temporale

directe, in ipso homine v. gr. sanitas. victoria (*benedictiones variae*, v. gr. *novimilitis, peregrinorum, puerorum et puellarum*, etc.)

indirecte, in rebus ad hominem pertinentibus, ut in bono statu conserventur, (*benedictiones domorum, vestium, fructuum terrae, ensis, vexilli, viae ferreae, telegraphi, animalium, pontis, putei, ignis, navis, aereoplani*)

removetur malum

spirituale

culpae, sc. peccatum veniale (*aqua lustralis, confessio, tunsio pectoris, cinĕres, oratio dominicalis*)

poenae temporalis (*ieiunium, eleemosyna, genuflexiones*)

in ipsis hominibus inductum per causam

spirituale, scilicet obsessiones daemonum (*aqua lustralis, exorcismi*)

materiale, sc. morbos, (*benedictiones infirmorum, Agnus Dei*)

temporale

in rebus ad hominem pertinentibus (*benedictiones animalium peste vexatorum, contra mures, preces ad repellendam tempestatem, tempore famis, pestis, belli, mortalitatis, siccitatis*)

6. — Notanda. — I. Hic autem lectorem monitum volumus, praedictam distributionem non esse obiectorum sese semper excludentium, cum possit una eademque res operari et ad bonum promovendum, et ad malum repellendum, et quidem sive spiritualiter, sive temporaliter, ut casus est de oratione dominicali, de aqua benedicta, de *Agnus Dei*, etc.

II. Notari ulterius oportet, omnia enumerata sacramentalia, et si quae sint alia, huc demum tendere, ut vitam spiritualem hominis promoveant: non enim alia de causa Deus nobis bona temporalia elargitur, arcet vero temporalia mala, nisi ut facilius caelestia capiamus, ut per haec visibilia in invisibilia rapiamur. Quapropter haec semper debet esse, saltem implicite, hominis intentio, in usu sacramentalium, ut animae bona ad vitam aeternam conferentia percipiat. Quocirca omnia sacramentalia ad hoc tandem ordinantur, ut inclinent animam ad bonos motus, vel caritatis in Deum, vel detestationis peccatorum [1]: unde nonnisi mediantibus illis motibus, gratiam producunt aut venialia peccata destruunt.

7. — Quomodo sacramentalia effectus suos producunt. — Haec sane implexa est quaestio, in qua solvenda non inveniuntur theologi inter se consentire, pro qua tamen rite dirimenda, prae oculis haberi debet tum definitio in Iure data, tum id quod traditur in tractatu de *Incarnatione Verbi* [2].

Nimirum, cum omnis sanctificativa virtus, per sacrosanctam Domini Nostri humanitatem, tanquam per excellentissimum instrumentum Divinitati coniunctum, ad nos usque transeat, humanitas autem Domini Nostri vicissim alia instrumenta sibi adsciscat in excellentissimo opere redemptionis nostrae perficiendo, dici potest quod, sicut

1. Cf. 3, Quaest. LXXXVII, art. 3, ad 1m. — 2. Quaest. XIII, art. 4, nn. 12, seq. p. 487. seq.

Christus contactu suo sanctificavit aquas ut in baptismo causa essent regenerationis, panem ut in Eucharistia fieret corpus eius, etc., ita cetera quaeque elementa et res mundanas sacratissimo suo usu et contactu ita sanctificavit, ut per eas, interposita impetratione Ecclesiae, aliquis effectus spiritualis in nobis iugiter producatur.

Quae cum ita sint, probabilior longe nobis videtur sententia quae tenet sacramentalia quoque effectus suos producere ex opere operato, id est intrinseca ipsarum rerum virtute, accedente tamen suscipientis devotione, ut manifestum fit ex efficacia exorcismorum qui imperative fiunt a ministris Ecclesiae. Unde S. Thomas, relata quorumdam sententia, qui dicebant ea quae in exorcismo aguntur nihil efficere, sed solum significare, ait[1]: *Hoc patet esse falsum per hoc quod Ecclesia, in exorcismis, imperativis verbis utitur ad expellendam daemonis potestatem, puta cum dicit: Ergo, maledicte diabole, exi ab eo,* etc. Qui etiam loquens de inunctione chrismatis, qua sacerdos hominem recens baptizatum ungit in vertice, ait[2]: *Eorum quae aguntur post baptismum circa baptizatum, aliquid est quod non solum significat, sed efficit, puta inunctio quae fit in vertice, quae operatur conservationem gratiae baptismalis.*

8. — Sensus Ecclesiae. — Idipsum evidenter constat ex explicitis formulis benedictionum et consecrationum, quales in Missali, Rituali, aut Pontificali Romano prostant. Sic, verbi gratia, diserta sunt quae in ordine ad faciendam aquam benedictam leguntur[3]: *Deus... elemento huic... virtutem tuae benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos daemones, morbosque pellendos divinae gratiae sumat effectum.* Pariter, in benedictione Cinerum, quae feria IV

1. 3, Quaest. LXXI, art. 3. — 2. Ibid., ad 4m. — 3. Rit. Rom., tit. VIII, c. 3.

ante Quadragesimam fieri solet, Ecclesia orat: *Deus... capitibus servorum tuorum, horum cinerum aspersione contactis, effunde propitius gratiam tuae benedictionis.* Similiter, in benedictione candelarum in festo Purificationis B. M. V., Ecclesia Deum deprecatur, *ut has candelas ad usus hominum et sanitatem corporum et animarum... benedicere et sanctificare* dignetur. Sed praetereundum non est, piae invocationi sanctissimorum Nominum Iesu et Mariae specialem quamdam virtutem adnecti, ad daemones fugandos et bonos motus concipiendos, ut fuse alibi, allata auctoritate gravium scriptorum, tradidimus [1].

9. — Distinctio inter sacramentalia. — Quocirca, distinctione opus est, ut discernamus sacramentalia illa quae ex solis orationibus constant, a sacramentalibus quae fiunt cum aliqua consecratione aut benedictione, et consistunt in usu quarumdam rerum. Igitur priora sacramentalia, scilicet orationes, formaliter in quantum tales, dicenda sunt virtutem producere ex opere operantis, non simpliciter hominis, secus non distinguerentur a privatis orationibus, sed ex opere operantis Ecclesiae, quae tam efficaci impetrationis virtute pollet, ut semper exaudiatur; et hoc sensu de oratione dominica ait S. Augustinus quod *delet minima et quotidiana peccata* [2]. Sacramentalium vero alterius generis aliqua significant tantum et non efficiunt, sicut quod datur recens baptizato *vestis candida ad significandum novitatem vitae,* ait S. Thomas [3]; aliqua autem non solum significant, sed etiam efficiunt; sic, verbi gratia, aspersio aquae benedictae, esus eulogiarum, et similia, dicenda sunt effectus suos producere ex opere operato, et quidem physico influxu, seu instrumentaliter.

1. Cf. Tractatum nostrum de Beatissima Virgine Maria, P. I, C. I, art. 2, n. 17, 4ª ed. — 2. Enchir., c. 70, t. VI, col. 223. 3. 3, Quaest, LXXI, art. 3, ad 4ᵐ.

10. — Differentia sacramentalium a sacramentis. — Attamen sacramentalia sic accepta aliter gratiam producunt ac sacramenta. Scilicet, *primo,* sacramenta sunt ex immediata institutione Christi, sacramentalia vero ex immediata institutione Ecclesiae; *secundo,* sacramenta producunt gratiam independenter a dispositionibus subiecti dummodo non adsit obex, et sic infallibiliter, sacramentalia vero dependenter ab huiusmodi dispositionibus et consequenter modo fallibili; *tertio,* sacramenta producunt primam gratiam, sacramentalia vero gratiam tantummodo conservant vel augent; *quarto,* augmentum gratiae per sacramenta maius est de se quam augmentum per sacramentalia [1].

11. — Sacramentalia ordinata ad bona temporalia procuranda, vel ad mala temporalia avertenda. — Quae autem sacramentalia directe ordinantur ad bona temporalia procuranda vel ad mala temporalia avertenda, uti que hunc effectum producunt sive ex opere operato, sive ex opere operantis Ecclesiae, ut dictum est; attamen Deus speciali modo eisdem praesens adest, in homine excitans reverentiam et devotionem, quae illum disponunt ad gratiam ampliorem percipiendam, necnon ad impetranda a Deo bona spiritualia.

12. — Sacramentalia consistentia in consacratione vel benedictione rerum ad divinum cultum pertinentium. — Idipsum dicendum est de sacramentalibus quae consistunt in consecratione vel benedictione rerum ad divinum cultum pertinentium, de quibus ita loquitur Angelicus [2]: *Dicendum quod ecclesia et altare, et alia huiusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiae susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur*

1. Cf. Tract. DE GRATIA, Quaest, CXII, art. 1, n. 5. — 2. 3. Quaest. LXXXIII, art. 3, ad 3m.

quamdam spiritualem virtutem, per quam apta reddantur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, et mediante hac devotione, augmentum gratiae sanctificantis.

13. — Motus poenitentiae necessarius ad remissionem culpae et poenae. — Quia autem peccatum, etiam veniale, sive quoad culpam, sive quoad poenam, numquam remittitur, nisi praevio motu voluntatis peccatum detestantis, hinc est quod, aspersio aquae benedictae et alia huiusmodi causant remissionem peccatorum venialium, *in quantum,* ait S. Thomas [1], *inclinant animam ad motum poenitentiae qui est detestatio peccatorum, vel implicite vel explicite.* Et idipsum dici debet de reatu poenae, qui *remittitur per praedicta,* ait idem Angelicus [2], *secundum motum fervoris in Deum, qui per praedicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minus.*

Relate vero ad parvulos, qui huius motus capaces non sunt, nisi dicere velimus ritus Ecclesiae eisdem inutiles evadere, concludendum est hos ritus effectus suos, quodcumque demum per eos significetur, producere ex opere operato absolute, ut dicitur in tractatu de Baptismo [3].

14. — Solvitur tacita obiectio. — Quod si S. Thomas dicit [4]: *Aqua benedicta et aliae consecrationes non dicuntur sacramenta, quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiae consecutio,* hoc non tollit quominus sacramentalia producant suos effectus ex opere operato; sed verba illa id praecise innuunt quod supra dicebamus, scilicet sacramentalia gratiam producere solum suppositis subiecti dispositionibus, dum sacramenta his etiam non existentibus, effectus suos producunt, dummodo obex non adsit, sicut cum per baptismum iustifica-

1. Ibid., ad 1m. — 2. Ibid., ad 3m. — 3. Quaest. LXVI, art. 10, n. 7. — 4. 3, Quaest. LXV, art. 1 ad 1m.

tur infans, aut adultus sui non compos, qui tamen voluntatem aliquando habuerit sacramentum recipiendi; imo adultus, qui cum voluntatebaptismi retinet affectum ad peccatum mortale, adhuc tamen recipit characteris impressionem in anima, cuius virtute, recedente fictione, sacramentum reviviscit ad gratiam.

EPILOGUS.

Et haec dicta sint ad laudem et gloriam Sanctissimi Redemptoris nostri, qui pretiosi Sanguinis sui merito id nobis, miseris et egenis peccatoribus, benignissimus impetravit, ut multiplici sacramentorum et sacramentalium dispensatione, ultimam beatitudinem, in aperta visione Dei unius et trini consistentem, facilius consequeremur.

Eia ergo, o amantissime, dulcissime ac nobilissime Rex, Domine et Salvator generis humani, Iesu Christe, qui per tuam passionem, ex quinque tui sacratissimi Corporis vulneribus, uberrimos sacramentorum rivos in vitam aeternam salientes, aperuisti, quaesumus, ut sicut tota mentis adhaesione et toto cordis affectu tuae credimus caritati, sic nobis benignus concedas, ex his fontibus, maxime ex sacramentis reconciliationis et Eucharistiae, sanctificationis fructus iugiter haurire, quatenus tecum in caelo regnare possimus, laudes tuas ac beneficia in aeternum celebraturi. Amen.

Laus Deo et Deiparae.

INDEX

QUAESTIONUM ET ARTICULORUM

Paginae

PROOEMIUM 1

QUAESTIO SEPTIMA
(IX)

Quid sit sacramentum.

ART. I. Utrum sacramentum sit in genere signi 13
— II. Utrum omne signum rei sacrae sit sacramentum . . 19
— III. Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum . . 24
— IV. Utrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis . 27
— V. Utrum requirantur determinatae res ad sacramenta . . 35
— VI. Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba 39
— VII. Utrum requirantur determinata verba in sacramentis . 47
— VIII. Utrum liceat aliquid addere verbis in quibus consistit forma sacramentorum 50

QUAESTIO SECUNDA
(LXI)

De necessitate sacramentorum.

ART. I. Utrum sacramenta sint necessaria ad salutem humanam 58
— II. Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta 65

Paginae

— III. Utrum post peccatum, ante Christum, sacramenta debuerint esse 69
— IV. Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta 78

QUAESTIO TERTIA
(LXII)

De principali effectu sacramentorum qui est gratia.

Art. I. Utrum sacramenta sint causa gratiæ 85
— II. Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum 93
— III. Utrum sacramenta novae Legis contineant gratiam . 97
— IV. Utrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiae causativa 100
— V. Utrum sacramenta novae Legis habeant virtutem ex passione Christi 113
Appendix De auctoritate Glossae 119
Art. VI. Utrum sacramenta veteris Legis causarent gratiam . 121
Appendix I. An sacramenta novae Legis attingant ipsammet productionem gratiae, vel tantummodo dispositiones ad gratiam 125
— II. Quid sit sacramenta novae Legis gratiam conferre ex opere operato instrumentaliter 130
— III. De reviviscentia effectus Sacramenti ficte suscepti . 136

QUAESTIO QUARTA
(LXIII)

De effectu sacramentorum, qui est character.

Art. I. Utrum sacramentum imprimat characterem in anima . 142
— II. Utrum character sit spiritualis potestas 148
— III. Utrum character sacramentalis sit character Christi . 155
— IV. Utrum character sit in potentiis animae sicut in subiecto 159
Appendix. Quo sensu dicitur character dispositio ad gratiam . 164
Art. V. Utrum character insit animae indelebiliter . . . 167
— VI. Utrum per omnia sacramenta novae Legis imprimatur character 171

QUAESTIO QUINTA
(LXIV)

De causa sacramentorum.

Paginae

ART. I. Utrum solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti 181
— II. Utrum sacramenta sint solum ex institutione divina . 185
APPENDIX I. Utrum Christus Dominus omnia sacramenta per seipsum directe instituerit 188
— II. Qualiter determinaverit Christus tum materiam, tum formam sacramentorum 195
— III. Quaenam fuerit Apostolorum, aut eorum successorum potestas circa sacramenta 202
— IV. Utrum Ecclesiae competat potestas caeremonias et ritus in sacramentorum administratione instituendi 204
— V. Utrum Ecclesia convenienter adhibuerit linguam latinam in Sacramentorum administratione 209
ART. III. Utrum Christus, secundam quod homo, habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum . . 210
— IV. Utrum Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare 214
— V. Utrum per malos ministros sacramenta conferri possint . 217
— VI. Utrum mali ministrantes Sacramenta peccent . . . 224
— VII. Utrum angeli possint sacramenta ministrare . . . 229
— VIII. Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti. 234
— IX. Utrum fides ministri sit de necessitate sacramenti . . 245
— X. Utrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti 251
APPENDIX I. De intentione requisita in subiecto suscipiente sacramentum 253
— II. Utrum distinguendum sit inter mortem apparentem et mortem realem, ita ut in omni casu liceat homini, sacramenta ministrare post mortem apparentem . . . 261

QUAESTIO SEXTA
(LXV)

De numero sacramentorum.

Paginae

ART. I. Utrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiae . . . 269
APPENDIX. Rationes numeri septenarii sacramentorum secundum S. Bonaventuram 288
ART. II. Utrum sacramenta convenienter ordinentur secundum modum praedictum 291
— III. Utrum sacramentum Eucharistiae sit potissimum inter sacramenta 295
— IV. Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis . 301

APPENDIX

De sacramentalibus.

EPILOGUS 317

Date Due			
NOV 8 1			
NOV 24			
JAN 7			

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

12500
230
L26
Lepicier, Alexius Henricus
B250 AUTHOR
De Sacramentis in Communi
TITLE